

1/6



JOHANNIS GEORGII MICHAELIS

S. S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII ET ILL. GYMNASII REGII REFORMATI HALENSIS EPHORI.

EXERCITATIONES
THEOLOGICO-PHILOLOGICÆ.

In quibus nonnullis Sacrarum litterarum locis lux aliqua accenditur, & capita quædam antiquitatum ſacrarum illuſtrantur.





LUGDUNI BATAVORUM,
Apud NICOLAUM MOENS,
MDCCLVII.

ARGUMENTA

EXERCITATIONUM.

I. *De eo, num Christus Dominus aliquid scripserit? sin minus, quae hujus rei fuerit ratio? Et an illa scriptionis intermissio Rei Christianae sit detrimento?*

II. *De eo, num Apostoli duodecimo demum a Christi in coelos evectione anno Hierosolymis sint egressi?*

III. *De eo, num solemnis expiationis anniversariae dies sub templo secundo fuerit celebratus?*

IV. *De adparitione angeli facta Zachariae Johannis parenti in templo*, Luc. 1: 8. *seqq.*

V. *De lapidibus vivis structis in domum spiritualem.* 1 Petri 2: 5.

ILLUSTRISSIMO AC *EXCELLENTISSIMO*

DOMINO

CAROLO LUDOLPHO,

S. R. J. LIBERO BARONI

D E

DANCKELMANN ET PRANGIN

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS STATUS BELLICARUMQUE RERUM MINISTRO, CONSISTORII SUPREMI BEROLINENSIS UTI ET SENATUS ECCLESIASTICI REFORMATI ET RERUM ECCLESIASTICARUM OMNIUM SUPREMO PRAESIDI, ACADEMIARUM SCHOLARUMQUE CURATORI SUMMO, CAUSSARUM GALLICARUM CIVILIUM ET ECCLESIASTICARUM GUBERNATORI, DYNASTAE IN LODERSLEBEN OPHAUSEN RELIQUA MAECENATI AC DOMINO SUO SUBMISSO MENTIS CULTU PROSEQUENDO.

OPUSCULUM HOC SACRUM FACIT

Jo. Georgius Michaëlis.

LEC-

LECTORI BENEVOLO AC ERUDITO S. P. D. JO. GEORGIUS MICHAELIS.

In conspectum TUUM, B. L. *novus fascis dissertationum mearum in selectiora argumenta, ad divinorum oraculorum utriusque foederis intelligentiam, itemque antiquitates sacras facientium, prodit. Quasdam lucubrationum mearum, sub titulo* observationum sacrarum *Traj. ad Rhenum* 1738. 8. *apud* Hermannum Besselingium *litterarum formis exscribendas curavi, quarum continuatio præsens collectio haberi potest. Ut prolixiori præfatione* TE *compellem, necessarium haut esse duco: id tantum agam, ut argumentum ac præcipua singularum exercitationum momenta, brevi quasi tabella delineata, exhibeam.*

Prima *est* de eo, num Christus, *quamdiu legatione sua in his terris est functus*, aliquid in litteras miserit? *In* tres *partes commentationem hanc divisi. Sect.* 1. *Christum nihil omnino scripsisse, demonstratum dedi. Qua occasione, quid descriptione Christi Jo.* VIII. 3-8. *itemque litteris, quæ ab eodem ad* Abgarum,

Edessenorum regulum, scriptæ fuisse dicuntur, & aliis monimentis litterariis, quæ a male sanis hominibus, pessimisque impostoribus optimo magistro sunt adficta, censendum sit, declaravi. Hæc locum jamdum aliquem obtinuit in Symbolarum litterariarum ad incrementum scientiarum omne genus collectione altera, *quæ auspice Io.* CONR. IKENIO, *magni nominis theologo & philologo, litteris Gebaverianis hic loci in forma octipertita a.* 1754. *lucem adspexit. Quod utilissimum institutum, quoniam ultra primum fasciculum non processit, primam hanc sectionem, paullulum tamen immutatam, & quibusdam additis, repetere, eidemque, duas sequentes adjicere consultum mihi fuit visum, quo ita lectores singularum demonstrationum vim ac consecutionem pervidere, de iisdemque judicare possint. Sect. II. in rationes, quibus dominus motus, a scribendo abstinuerit, cum tamen ut ab ipso, ceu magno doctore ac propheta flagitari potuerit, inquiritur. Sect.* III. *in objectionibus, quæ* Augustini, *Hipponensis præsulis, tempestate jamdum fuerunt institutæ, ac si Christi discipuli mentem magistri non recte sint adsecuti, ac sinistre interpretati, diluenda occupatur.*

Secunda de eo agit, num duodecimo demum, a Christi in cælos evectione anno apostoli Hierosolymis sint egressi? *Antiqua circumfertur relatio, ore tenus propagata, Christum, paullo ante suum ad patrem abitum, discipulis suis, quos tamquam regni sui internuntios ac propagatores in terrarum orbem brevi emissurus erat, in mandatis dedisse: ut 12. a. Hierosolymis subsisterent, ac electos ex judaica gente, Deo olim cara & sacratissimo foedere juncta, per verbum gratiæ ad se colligerent, ipsos legibus suis submitterent, deque beneficiis abs se partis, certam*

spem

spem ac exspectationem iisdem facerent: illis autem elapsis, in terras gentium, ad easdem ad veri Dei consortium advocandas, concederent. Quidquid hujus est, est res facti, cujus certitudo ab eventu unice pendet. Temporum igitur rationes in subsidium erant devocandæ, num per tot annos inter Judaeos moram traxerint, & num sapientiæ divinæ fuerit conveniens, ut per tantum temporis spatium uni genti, maximam partem refractariæ ac pervicaci, adfixi hæserint? Rationibus igitur invicem collatis, deprehendi, totam hanc narrationem, si non omnino falsam pronuntiandam, saltim illi fidem non adhibendam esse ante, quam certis documentis historicis demonstratum fuerit: Christi oratores ad munus suum, inter populos, a vero Dei cultu adhuc alienos, administrandum, duodecim illis annis revolutis, se demum accinxisse.

Tertia *destinata est quæstioni*, de eo, num sollemnis expiationum dies sub templo II. fuerit celebratus? *Inter festivitates omnes, quas priscus populus Israëliticus secundum legem Mosaicam, quovis anno, recolere tenebatur, dies expiationum cumprimis est memorabilis, quo ipso, si quidem illum animo demisso, ac in promissum sospitatorem directo, obirent, peccatorum remissionem impetrabant, & de ulteriori favore ac gratia divina certi reddebantur. Videntur igitur huic religioni obsecundavisse ad id usque tempus, quo redemtor ipso actu inter suos comparuit, mortem vicariam sustinuit, peccatum expiavit, justitiamque æternam adduxit. Inventi tamen fuere, qui inficias ire nulli dubitaverunt, toto illo tempore, quod inde ab restauratione templi secundi ad ejusdem usque excidium fluxit, illius celebrationem intermissam fuisse: imo ob absentiam*

arcæ foederis ne quidem piacularibus his sacris vacare potuisse, caussantur. Sententiam hanc defendendam suscepit eximius Theologus Gallus, PETRUS MOLINÆUS, *a qua alii non omnino sunt alieni. Multi equidem sacris his illustrandis intenti fuerunt, nec quidquam intentatum reliquerunt, quod ad lucem ritibus illius diei inferendam, ac rationibus illorum in apricum proferendis, faciebat: Sed qui ex instituto hanc ipsam quæstionem excusserit, ac dubia e medio sustulerit, mihi saltim occurrit nemo. Occasione igitur data, illam tractandam sumsi, ac per modum programmatis publicæ luci exposui. Sed uti dies diem docet, & judicia posteriora priora vel emendant, vel confirmant ac perficiunt, ab illo tempore ex lectione* Josephi, *ac aliorum scriptorum argumenta se mihi obtulerunt, quo hoc extra omnem dubitationis aleam ponunt: diem hunc ad extrema usque reipublicæ judaicæ tempora agitatum fuisse. Argumentum etiam, si non invictum, probabile saltim ex* Ebr. VII. 27. *peti potest, posito hoc, apostolum utrumque sacerdotium tum aharonicum, tum Christi, tamquam actu ipso vigens, spectare, quo ita ex utriusque collatione imperfectio sacerdotii levitici ac præstantia sacerdotii Christi adpareret. Omnia verba, quibus utitur Apostolus, ita comparata sunt, ut de non alio sacrificio, quam anniversario, quod solus sacerdos maximus adparare debebat, intelligi queant. Sententiam hanc, a me olim propositam, novis tibicinibus suffulsi, & quæ eidem ab adversa parte obvertuntur, diluere studui. His additamentis dissertatio hæc novam accepit faciem, eidemque luculenta accessio est facta.*


Quarta respicit adparitionem angeli factam Zachariæ, Joannis parenti in templo *ad Luc.* I. 8. *seqq.*

seqq. Historia hæc suis περιστάσεσι vestita, attentionem lectoris facile provocat. Adparitio fiebat in templo, illo ipso tempore, quo Zacharias suffitui adolendo intentus & occupatus erat, populo in atrio precibus vacante ac reditum sacerdotis ex templo præstolante. Omnibus his ex Judæorum pandectis multum lucis adfundi potest, quæ in medium adferre, & cum [illegible] *Lucæ confligere non neglexi. Joannes ex vatum sacrorum oraculis Messiæ futuro viam planam sternere, ac ad ejusdem receptionem populum præparare debebat. Præsignificatio igitur nativitatis ipsius, facta ab angelo in templo, ubi dimanavit, inque vulgus fuit sparsa, porro ubi intellexerunt, parentem e templo mutum reducem, post aliquod tempus linguam & vocem recepisse, animi illorum fuerunt erecti, atque ingentem rerum mutationem instare augurari potuerunt.*

Quinta, de lapidibus vivis, ſtructis in domum ſpiritualem, *complectitur explicationem* 1 *Petr.* II. 5. *Homines beneficio fidei cum Christo arctius conjuncti, & per ejusdem spiritum vita spirituali donati, in ejusdemque exercitiis proficientes usque comparantur lapidibus vivis. Locutio ab ordinaria dicendi ratione discedit multum. In cuius proinde vim, & quorsum adludatur, viri quidam eruditi inquisiverunt: speciatim* ALEX. MORUS, *vir græce doctissimus ac sagacitate & judicio non facile cuiquam secundus, in illa explananda operam & industriam posuit. Sed enim, quam viam interpretationis ingreditur, examen sustinere nequit. A templo Hierosolymitano sermonem mutuari, extra controversiam est positum. Lapides vivi suo quodam modo dici possunt, qui alibi locorum dolati & aptati, brevi temporis spatio concinnari ac coagmentari possant, non aliter ac si propria vi coa-*

lescant atque coagmententur. Quale quid quoniam de lapidibus in structuram templi Salomonei paratis, dici potest, ab illis sermonem Petrum repetiisse, veri est simile. Sed longiori sermone tempora TUA *morari religioni mihi duco. Si lucubrationes has meas* TUO *calculo adprobabis, habeo, de quo mihi gratuler, si in quibusdam rem acu minus tetigisse* TIBI *videbor, ut me, si res tanti fuerit, amice moneas, rogo. De mendis, quae forte irrepserunt, quoniam ob loci distantiam a me tolli non potuerunt, pro aequitate* TUA *judicabis, & pro doctrina* TUA *levabis. Det* TIBI *& omnibus, qui id ardentibus precibus efflagitant,* NUMEN *optimum pacem, incolumitatem ac prosperum rerum, quae in veram felicitatem cedunt, decursum. Vale iterum atque iterum in Domino, mihique fave! Halae Magdeb. ad d.* VI. *Febr.* A. CIƆ IƆ CCLVII.

EXER-



EXERCITATIO I.

DE EO

NUM CHRISTUS DOMINUS ALIQUID SCRIPSERIT? SIN MINUS, QUAE HUJUS REI FUERIT RATIO? ET AN ILLA SCRIPTIONIS INTERMISSIO REI CHRISTIANAE SIT DETRIMENTO?



PROOEMIUM.



uod tractandum sumimus argumentum, non adeo levis est momenti, & si illud, libratis argumentorum ponderibus, rite constitui, disceptarique potest, multæ objectiones, quæ ab hominibus, qui levitate quadam in religionem Christianam ducuntur, proferuntur, robore ac nervis suis destitutæ concidunt. Non sine ratione videri cuiquam possit, optimum sospitatorem nostrum omnino aliqua scribere debuisse. A patre suo (ut alios missionis ipsius fines in præsentia prætereamus) cæli-

tus in hunc orbem ad docendum demissus, eaque de caussa necessariis spiritus sancti donis uberrime exornatus erat: nec ipse per vitam suam docendi provinciam refugit. Ubi cumque locorum auditores doctrinæ suæ avidos offendit, illos erroribus, quibus implicati tenebantur, expedire: contra veram sapientiam eisdem impertiri ac egregiis præceptis ad virtutis pietatisque cultum inflammare, non neglexit. Sed vero Christus doctrinam suam non in brevioris alicujus temporis usum spargebat, verum per omne ævum eandem duraturam cupiebat. Nec cœtum sibi adjungebat brevi dissolvendum, sed longe futuris temporibus ad extremos mundi terminos perstiturum, perque omnem terrarum orbem, qua late patet, disseminandum. Quod ut consequeretur, necessarium esse videbatur, ut doctrinam scripto complecteretur, quo & præsens ætas haberet, quo in veritatis cognitionem duceretur, in eademque confirmaretur, & futura, quo ad eandem tuto adduceretur, in illaque firmiter retineretur. Accedit, ipsum novam *aliquam ecclesiæ* oeconomiam *introduxisse. Non dico, eundem* novæ *alicujus* religionis *auctorem exstitisse.*


Religio, quam suis inculcavit, eadem, quod ad interiorem formam atque substantiam suam, est cum illa, quæ quondam fuit patriarcharum, sed huic sub Mose, pro ratione temporis, quo vivebant, pro indole populi Israëlitici ac terræ, in qua vitam agebant, ritus quidam externi accesserunt, qui naturam religionis nec constituebant, nec perpetuæ durationis esse poterant, intempestivo ac male sedulo studio doctorum judaicorum posterioris ævi ita aucti & multiplicati, ut omnem plebis sacræ occupationem ac contentionem deposcerent, quibusque simul veræ religionis vis prostrata fere ac proculcata erat, ut pauci oppido in prisca illa patrum religione persisterent. Enim

vero

vero Christus, κρειττονος διαθηκης εγγυος, *Ebr.* VII: 22. *loco externæ ac carnalis œconomiæ œconomiam spiritualem instituturus erat, ut suo tempore totus ille externus cultus, a Mose numinis jussu invectus, aboleretur: oportebat igitur ipsum per efficacem veritatis demonstrationem præjudicia & errores veræ religioni noxios animis tribulium suorum evellere. Inde si non novam aliquam religionem invexit, novam tamen illi faciem induxit. Quemadmodum autem Moses omnem cultus externi rationem certis olim legibus circumscripsit, easdemque litteris consignatas Abrahami posteris tradidit: hunc etiam morem omnes sunt secuti, qui, novis religionibus procudendis intenti potentiam sibi atque auctoritatem haut vulgarem collegerunt. Equidem dicitur, ut Christus magister doctrinam suam perscriberet, non ita necessarium fuisse. Potuisse id æque sine ullo religionis detrimento ab illius discipulis fieri, qui per longum tempus in ipsius disciplinatu hæserint, in quorumque sinum omnem suam doctrinam, effuderit, adeo ut nil quidquam, quod ad doctrinæ suæ compagem facere potuerit, reticuerit, intimosque illius recessus recluserit. Sed erunt forte, qui regerant: discipuli fortasse ejus non ea fuerunt attentione, ingenii perspicacia, vel fidei integritate, ut, quæ a doctore suo acceperunt, intellexerint, aut absque ulla mutatione, alteratione, additione cum aliis communicarint. Non novum hic scrupulum fingimus, vel difficultates nectimus, sed illas tantum repetimus, quas dudum nonnulli sibi fecerunt, easdemque incredulitati suæ prætexuerunt. Homines aliquos, profanæ religioni addictos, his ipsis, quo minus Christo nomen darent, revocatos fuisse, scriptum reliquit* AUGUSTINUS. Illud prius, *inquit*, discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse dominus nihil scrip-

ſerit, ut aliis de illo ſcribentibus, neceſſe ſit credere. Hoc enim dicunt illi, vel maxime pagani, qui dominum ipſum Jeſum Chriſtum culpare aut blaſphemare non audent, eique attribuunt excellentiſſimam ſapientiam, ſed tamen tanquam homini: diſcipulos vero ejus, *dicunt*, magiſtro ſuo amplius tribuiſſe, quam erat, ut eum filium Dei dicerent, & verbum Dei, per quod facta ſint omnia, & ipſum ac Deum patrem unum eſſe, ac ſi qua ſimilia ſunt in Apoſtolicis litteris, quibus eum cum patre unum Deum colendum eſſe didicimus. Honorandum enim tanquam ſapientiſſimum virum putant, colendum autem tanquam Deum negant. Cum ergo, quare ipſe non ſcripſerit, videntur parati fuiſſe hoc de illo credere, quod de ſe ſcripſiſſet, non quod alii de illo pro ſuo arbitrio prædicaſſent, de conſens. Euangel. *L.* I. *C.* VII. *opp. T.* IV. *p.* 89. *edit.* Eraſmianæ, *quæ breviter repetit* retractat. *L.* II. *C.* XVI. *Quo animo hæc protulerint, num cupido in veritatis ſtudio proficiendi, an ficto ac ſimulato, ne præter rationem Chriſtianæ religioni adverſari, ab illa ſaltim adſenſum ſuum cohibere, viderentur? non examinabimus. Id tantum demonſtrare adlaborabimus: ſi vel Chriſtus doctrinam ſuam ſcripto non fuerit complexus, nihilo tamen minus aliquem tuto de ipſo credere poſſe illa, quæ poſt ejus mortem & in cælos abitum ejus diſcipuli victuris per omne tempus chartis commiſerunt. Quo autem commentatio noſtra juſto procedat ordine, diſpiciemus* (I), num Chriſtus aliqua tempore miniſterii ſui ſcripto conſignarit? *Et ſi quidem illud probari minus queat, quæ ratio* (II), *fuerit*, quare doctrinam ſuam ſcripto comprehenſam diſcipulis ſuis non reliquerit? (III) *Adſtruemus*, id ipſum veritati ac divinitati doctrinæ Chriſtianæ nil quidquam derogare.

SEC-



SECTIO I.

DE EO NUM CHRISTUS DOMINUS ALIQUA SCRIPSERIT?



CONSPECTUS.

Ex loco *Jo.* VIII: 3–8. minus recte probatur, Christum aliquid scripsisse. Circa sententiam HEUMANNI quaedam monentur. §. 1. Ex historia ecclesiastica 2. provocatur ad epistolam Christi ad Agbarum, quam alii tamquam spuriam rejiciunt, alii multa γνησιοτητος criteria prae se ferre judicant. 3. Argumenta MONTACUTII, CAVEI & GRABII pro γνησιοτητι epistolarum Agbari & Christi examinantur. 4. Oeconomiae gratiae divinae adversari, quod discipulorum Christi aliquis, non longe ab ipsius resurrectione Edessam fuerit ablegatus, ostenditur. 5. Exceptiones GRABII ad NATALIS argumenta lustrantur, & quid veri vel falsi illis subsit, monstratur. 6. Dubia contra

epistolas has ex historia missionis & sanationis Thaddæi moventur. 7. Excutitur, quod constitut. Apostol. *L.* VI. *c.* XVI. de libris a Simone & Cleobio, Christo suppositis, habetur. 8. Epistolæ, quæ Sæc: VI. & VIII. nomine Christi cœlo demissæ dicuntur, ut aperte falsæ rejiciuntur. 9. Ex demonstratis efficitur, Christum non aliquid scripsisse. Sed 10 a scriptione non abstinuit ob defectum necessariæ peritiæ. Quod 11. probatur (α) a cura parentum in ipsum, (β) ab occasione, quia Judæi in singulis urbibus & oppidis scholas constitutas habebant. 12. (γ) a legendi peritia, quam publice non semel testatam fecit. 13. Scribendi peritia destitutum non fuisse (δ) probatur, quia Israëlitarum quivis pentateuchum sibi scribere tenebatur.

§. I.

Quod (1) attinet Christum aliquid scripsisse, non nisi unicum exemplum ex historia Euangelica produci potest, alia ex scriptoribus ecclesiasticis depromuntur, vel eidem adscribuntur. Prius invenimus apud Joannem, qui memoriæ prodit, cum uxor aliqua in ipso adulterio deprehensa a scribis & Pharisæis ad Christum adducta fuisset, ut de illa sententiam ferret, ipsum inclinato in terram corpore scripsisse c. VIII. 3-8. Hujus scriptionis varii varias rationes, allegoricas cum maxime, reddiderunt, quas studiose collegerunt FRANC. GOMARUS Opp. T. I. p. 419. 420. SALDENUS ot. theol. exerc. VI. §. 23. p. 111-114. Præ aliis attentionem meretur expositio LIGHTFOOTI, qui historiam hanc ex ritibus, quibus olim secundum legem Mosis Num.

V.

V. & δευτερωσεις magistrorum adulterium clandestinum mulieris de eo suspectæ explorabant, explanare contendit. Ex hujus igitur sententia Christus eodem se modo in terram inclinavit, quo sacerdos puluerem e pavimento collecturus, quem post in aquas amaras immiserit, se incurvabat: scriptionem Christi in terra cum scriptione exsecrationum in libro a sacerdote, contendit. Quæ interpretatio, quoniam ex intimiori antiquitatum ebraicarum notitia profecta, viris non vulgaris ingenii ac doctrinæ ita adrisit, ut, toti huic historiæ egregiam lucen foenerari, judicarint. Certe talis visa est doctissimo JO. HENR. OTTONI lexic. rabbinico-philol. p. 48. 49. FRANC. BURMANNO *comment. in numeros*, ANDR. ACOLUTHO de *aquis amaris* p. 307. 308. ex quibus BURMANNUS judicat, posita hac interpretatione, quænam scriptio ac scriptionis argumentum fuerit, conjectari posse. Verum enimvero, convenientiam illam, quam inter scriptionem sacerdotis & hanc Christi animadvertisse sibi per suasit LIGHTFOOTUS, deprehendere non potuerunt SALDENUS, itemque ALB. WILH. MELCHIORIS *sicilim.* L. I. c. VIII. p. 133–136. disconvenientiam potius ingentem demonstrarunt. Sed hæc eum tantum in finem a nobis sunt adlata, ut adpareat, num ex aliqua interpretatione certi quid de scriptionis argumento eruere liceat, unde ad ipsam scriptionem argumentum duci queat. Sed tamen cogitet quispiam, si vel nihil certi de scriptionis argumento inde effici queat, quod Joannes silentio prorsus prætermittat: id tamen certo certius constare, Jesum aliquid scripsisse, iterata enim vice dicitur, τῳ δακτυλῳ εγραφεν εις την γην v. 6. 8. Sed nolim hæc ita confi-

denter adseverari. Verbum γραφω non solum litterarum ductus ac verba *effingo* significat, verum etiam rerum effigies ac figuras instrumento quodam exprimo, unde γραφευς pictorem haut raro notat. Posset non uno veterum testimonio probari, nisi res omnibus esset obvia, atque horum quidem aliqua adduxisset HEUMANNUS vir summæ doctrinæ & acris judicii, in erudita dissert. cui titulum fecit, *interpretatio γεωγραφίας Christi* §. 14. not. p. 23. sententia ipsius hæc est. *Christum non scripsisse aliquid* vere, *sed manum tantum, digitumque in otio illo suo, dum adventantem exspectaret populum, in substrato pavimento motitasse, atque ita scribentis expressisse imaginem; ad quem eundem corporis habitum redierit, ubi aliquid ad importunam, iterato repetitam, accusatorum quæstionem respondisset* §. 10. p. 18. Huic interpretationi, quod ad rei summam, lubens subscribo, sed num *per otium* tantum, & ut tempus quasi falleret, istam manus atque digiti motionem in substrato pavimento, meditabundo similis, instituerit, non sine ratione ambigo. Iste motus digiti Christi proximam relationem habet ad rem cum accusatoribus mulieris adulterii insimulatæ gestam; propterea illius mentio fit, ubi Joannes in serie historiæ adductionem mulieris, illiusque accusationem enarraverat v. 6. Ad eundem redit, ubi accusatores acrius instabant, ut sententiam diceret v. 8. Ex mente vero HEUMANNI, cujus merita ingentia in rem litterariam omnem & sacram suspicio, cujusque pace hoc dictum velim, nexus ille plane solvitur, & Christus illum corporis inclinati habitum, & digiti motum præ se tulisse debuit statim ab initio actionis hujus, ante etiam quam mulier ista adduceretur.

Exi-

Existimarim igitur, nec id repugnat serici historiæ, Christum, audita mulieris accusatione, corpore se inclinasse, ac digito in terra non litterarum ductus, sed figuras aliquas, non tamen otiosas, sed quæ rationem signi habuerint, duxisse; totamque illam actionem fuisse *symbolicam*, ad id pro singulari Christi sapientia directam, quo accusatores intelligerent, totam illam caussam a se, qui in rebus civilibus ac criminalibus arbiter sedere renueret, velle rejectam: maxime cum tota scena a vafris hominibus esset instructa, quo rem aliquam contra ipsum haberent v. 6. Non dicimus aliquid, quod a compage historiæ sit alienum, & ab usu inter homines abhorreat. Opportune sese offert, nobis casus, qui cum præsenti multum similitudinis habet. (a) Memorat LAERTIUS *Menedem.* p. m. 173. edit. Casaub. Colon.

(a) Hæc in chartam conjeceram, nescius, num quis locum Laertii cum illo JOANNIS conflixerit, evolvens postea HAMMONDI *adnotat. in N. T.* animadversionibus CLERICI auctas, deprehendi, hunc ipsum Diogenis locum cum præsenti Joannis contendisse. Vidit *Clericus* utriusque convenientiam, quare quoniam de γνησιοτητι totius historiæ hujus certus non erat, autumat, *potuisse quemquam suspicari, Papiam aut alium hanc circumstantiam* (de scriptione in terra) *mutuam ex eo cepisse, quod refertur de Menedemo a Laërtio.* Sed vero tantum abest, ut historia hæc, cujus αὐθεντιαν post alios laudatus HEUMANNUS cit. diss. §. 16—20. p. 25—33. vindicavit, ad modum Laertianæ illius sit efficta, ut potius ad adstruendam scriptionem Christi Symbolicam, qua nonnulli offenduntur, faciat multum, cum simile quid in re non multum absimili, adhibuerit *Menedemus*, vir sapiens. Quid de hac Clerici sententia sit censendum exposuit B. MOSHEMIUS, *dissert. ad sanctior. disciplin. pertinent.* p. 278—280.

Colon. Allobr. 1615. *Eurylochum Cassandræum*, qui dubio procul *Menedemo* ante adhæserat, per *Antigonum* abductum esse, qui cum ea de caussa insolesceret, Menedemus εἶπε μεν ὀυδεν· λαβων δε καρφος διέγραφεν NB. εἰς ΤΟΥΔΑΦΟΣ ΠΕΡΙΑΙΝΟΜΕΝΟΥ ΣΧΗΜΑ, *nihil quidem dixit*: *sumta autem festuca* PINXIT IN PAVIMENTO MULIEBRIA PATIENTIS FIGURAM. Intendebat Menedemus pudorem incutere juveni, sed verbis non fecit, verum, instrumento aliquo sumto, figuram aliquam in terra expressit. Non ovum ovo est similius, quam locus hic Diogenis est nostro. Habemus animum Menedemi notandi actionem Eurylochi, habemus verbum διαγραφειν, non sensu *scribendi*, sed *pingendi*, ac figuram certam *exprimendi*, habemus porro figuram *Symbolicam*, habemus denique idem, quod in nostro loco, consequens, sentiens quippe juvenis, se figura ista notari: ὁρωντων παντων ΣΥΝΕΝ το μειρακιον τὴν ΥΒΡΙΝ, ΑΠΗΛΛΑΧΘΗ, *cernentibus omnibus*, *adolescens* INTELLIGENS *se contumelia notari*, DISCESSIT. Qui igitur Christum aliquid scripsisse, arbitrantur, in hoc loco præsidii inveniunt nihil.

§. II.

Extra scripturam exemplum scriptionis nobis apud illos occurrit, qui res gestas civitatis Christianæ in commentarios retulerunt. Ferunt, Christum ad *Abgarum*, vel potius *Agbarum*, Edessenorum regulum, epistolam destinasse, qua hujus litteris responderit, quaque certum ipsum reddiderit, se ilico post sui ἀναλήψιν aliquem discipulorum suorum, qui morbum ipsius relevaret, missurum

sorum esse. Ex tabulato Edesseno utramque epistolam exhibet EUSEBIUS H. E. L. I. c. XIII. Qui sequenti aetate in rei hujus memoriam inciderunt, quod a PROCOPIO de *bello Vandalico* L. II. EVAGRIO H. E. L. IV. c. XXVII. NICEPHORO H. E. L. II. c. VI. factum esse, novimus; alios, quos nominat NATALIS ALEXANDER H. E. Saec. I. Differt. 3. p. 269. 270. non moramur. Utramque epistolam cum rei factae descriptione ex *Eusebio* repetit eruditiss. GRABIUS *spicil. patr.* T. I. p. 316-321. confer. ITTIGIUS H. E. Saec. I. *select.* cap. I. p. 2. Quaeritur jam, quid de epistolis illis, speciatim Christi, sit statuendum, num a domini manu vere sit profecta, an ab alio, non omnino malo animo sint effictae, quo sic inde argumentum divinitatis Christi ab homine deorum commentitiorum cultui addicto agnitae depromi posset? In partes hic abeunt eruditi, quorum alii illas tanquam spurias rejiciunt, alii, si non omnino pro spuriis reputant, illarum tamen νοθεὰν indubiis argumentis evinci haut posse, sibi persuadent. Priorem sententiam tuetur NATALIS ALEXANDER H. E. Sac. I. P. I. Diss. III. p. 266. 272. qui varia in medium contra αὐθεντίαν epistolae, quae a Christo exarata dicitur, in medium adducit, quae licet omnia non ejusdem sint ponderis, aliqua tamen illorum vim probandi habere inficias iri nequit. Idem facit LUD. ELLIES DUPIN *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques* Vol. I. p. 1. 2. paucioribus quidem, sed validis, iisque ex ipso epistolarum illarum argumento ductis, ratiociniis usus. His addi potest JEAN LE SIEUR *Histoire de l'eglise & de l'empire* T. I. p. 88-92. item WITSIUS

SIUS *Miscell. sacr.* T. II. Exercit. XXII. §. 8. 9. p. 727. 728. Genuinas contra illas agnoscunt, saltim illarum fictionem certis argumentis demonstrari haut posse, pertendunt RICH. MONTACUTIUS *orig. eccles.* T. I. part. poster. p. 61-63. pariterque GRABIUS *spicil. patr.* T. I. p. 1-12. Ex quibus MONTACUTIUS pronuntiat, *non esse in illis, cur rejiciantur.* Addit, *omnia pia, modesta, & cum Christiana pietate conjuncta esse.* Paria cum ipso habet CAVEUS, *nullum*, inquit, *in toto epistolæ contextu adparet fraudis, vel νοθευσεως vestigium: nihil, quod domini nostri sapientiæ, dignitati non adprime conveniat.* GRABIUS non solum id facit, ut argumenta producat, quibus quis induci queat, ut credat; ipsum illas pro genuinis habuisse, verum etiam rationes, a NATALI prolatas, infirmat & enervat.

§. III.

Quod autem MONTACUTIUS & CAVEUS adseverant, in epistolis istis non esse, quod sapientiæ, bonitati ac dignitati domini adversetur, in illis omnia esse pia, modesta, & cum pietate Christiana conjuncta, nisi alia accedant argumenta, nondum probant, Christi esse: id tantum ex his efficere possumus, illarum autorem fuisse hominem circumspectum, qui το πρεπον probe observarit, quique istiusmodi sermonem Christo aptarit, quali ipsum, si res vere gesta esset, ex iis, quæ de ipso nota sunt, usurum fuisse, judicabat. Sed ne quis existimet, nos in judicando nimium esse præcipites, auctorem non probatæ fidei postulando, cujus tamen criminis evidentibus argumentis nondum sit convictus, ne quid præter

ter jus & fas pronuntiasse videamur, dispiciamus oportet, numne in epistolis his quaedam νοθεύσεως indicia sese prodant. Atque illa tum in epistola Agbari, tum in Christi, uti fertur, ad hunc responsione deprehenduntur. Scribit Agbarus, se insignibus Christi miraculis motum, hoc in animum induxisse suum, ut credat, ipsum vel deum esse, qui de caelo descenderit vel Dei filium. Verba sunt: Ἢ ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς καὶ καταβὰς ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ποιεῖς ταῦτα, ἢ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ ποιῶν ταῦτα. Respicit igitur filium tanquam illum, qui vel natura a patre sit diversus, vel qui gradu sit inferior; adeo enim ipsum distinguit. Sed quoniam miracula fidem in ipso excitaverant, miracula vero a nemine nisi vero Deo patrari possunt, inde concludere debuisset, esse deum, vel si filius Dei foret, ejusdem cum ipso naturae ac potentiae esse. Ita certe Judaei concludebant Jo. V. 18. In epistola, quae Christi nomen praefert, notamus (α) Christum huic homini gentili se facilem nimis praebuisse, qualem favorem experta non est faemina Cananaea, cui initio quidem auxilium omne negavit, caussatus: οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ Matth. XV. 24. nec nisi multis precibus cum fidei constantis demonstratione ipsum expugnare potuit. (β) Christus promittendo Agbaro auxilium per aliquem discipulorum suorum, significavit, opem ipsi ferri non posse, nisi vel *per se*, vel *per aliquem discipulorum suorum praesentem*. De se id Christus nec cogitare, nec dicere potuit, erat quippe Dei filius, Deus ipse omnipotens, qui etiam absens, si libitum fuisset, homini huic valetudinem restituere potuisset. Exemplum istiusmodi miraculosae sanationis a Christo patratae, habe-

habemus Matth. VIII. 5–13. Luc. VII. 1–10. (y). Christus fertur, promisisse, se post suam ad patrem ἀνάληψιν aliquem discipulorum missurum esse, qui morbum Agbari sanaret, illique ac civibus suis vitam daret, ἵνα ἰάσηται σου τὸ πάθος, καὶ ζωὴν σοι καὶ τοῖς σὺν σοι παράσχηται. Vita, de qua est sermo, vel intelligenda de vita *corporali*, vel *spirituali*: non *corporali*, quia non legimus in ullius, quam sui gratiam, Agbarum auxilium Christi expetivisse, & siquidem aliquos Edessenorum a gravibus liberaverit morbis, non tamen omnes. Si verba accipienda sunt de vita *spirituali*, Christus cuidam discipulorum suorum aliquid tribuisset, quod ipsi minus convenisset. Poterant illi verbum vitae adnuntiare, sed *vitam dare* non est nisi illius, qui vim peccati tollere, servitutem illius solvere, spiritum vitae dare, cumque illo & per ejus efficaciam omnem actuositatem spiritualem reddere potest. Hoc quidem in scriptura Christo adscribitur, Jo. X. 28. XI. 25. XX. 31. Rom. VI. 23. 1 Jo. V. 20. nunquam vero Apostolis tribuitur. Ut aliorum argumenta, quae contra γνησιότητα harum epistolarum produxerunt, repetamus, ab instituto nostro est alienum: videamus tantum, num, quae GRABIUS c. l. p. 310-325. adversus argumenta NATALIS ac DUPINII monuit, tanti sint, ut vim persuadendi habeant, nec tamen omnia, sed potiora ad incudem revocabimus. Equidem verba GRABII, quae disquisitioni suae praemittit, modestiam spirant, *se reciprocas Abgari & Christi epistolas non pro indubiis venditare, vel firmiter adserere, quod sint genuinae, sed sustinere solum, quod nulla detur suppositionis earum demonstratio, unde rem in medio relinquere tutissimum existimat, praesertim cum nulla hare-*

hæreseos, vel superstitionis labes in dictis litteris adpareat, nihil quod non oeconomiæ Christi servatoris, ejusque sapientiæ, bonitati, dignitati adprime conveniat. Sed ex hac propositione, in controversis epistolis nulla hæreseos, vel superstitionis nota occurrit, id tantum consequitur, hominem, qui illas est commentus, fuisse prudentem, illumque fictioni suæ colorem aliquem inducere potuisse, non autem hoc ipso ab omni suppositionis suspicione immunes præstantur. Potuit aliquis, animo non omnino malo has fingere litteras, quo sic hac via bonum consequeretur finem, ut miraculorum a Christo patratorum famam ad gentes vicinas dimanasse, easdemque deitatem ipsius, cum adhuc in vita & statu humili versaretur, agnovisse, demonstraret: quales fraudes; *pias* vulgo dictas, primis christianismi temporibus non infrequentes fuisse, abunde constat. A veritatis tamen & justitiæ studio est alienum, alii cuidam ingenii sui foetum supponere, quod gravius est longe, ubi christianus, qui pietati omnique virtuti sacramentum dixit, magistro ac domino suo figmentum suum adscribit, utique, si se ab hæresi ac superstitione, non tamen ab injustitia & mendacio alienum præstat. Quod addit, non repugnare *Oeconomiæ* Christi, id ponitur quidem, non autem probatur: imo contrarium liquet ex historia evangelica.

§. IV.

Oeconomia gratiæ divinæ, quamdiu Christus ministerio suo fungebatur, hæc erat, ut illa Judæis, ecclesiæ civibus, qui divinarum promissionum tabulas in manibus habebant Rom. IX. 4.

non gentibus adnunciaretur. Quare discipulis suis, ad evangelium prædicandum emissis, imperat, ne gentium & Samaritanorum urbes adirent, sed potius ad perditas oves domus Israëlis se converterent, Matth. X. 5. 6. Et licet morte Christi paries iste intergerinus, *sublata iniquitate totius terræ* Zach. III. 9. fuerit subversus, non tamen apostoli ad gentes viam flexerunt ante, quam Judæi sua se pervicacia divina gratia indignos præstiterunt Act. XIII. 46. Si autem Thaddæus, quod in epistola ista memoratur, Edessam abiisset, Agbarum miraculosa sanatione servasset, evangelium civibus urbis Edessenæ, hominibus gentilibus, declarasset, factum illud utique non longe a resurrectione Christi fuisset: sed num ante discipulorum Christi post supplicium Stephani dispersionem Act. VIII. 1. & ingressum Petri ad Cornelium Act. X. Apostolorum quisquam extra Judæam ad gentes se receperit, eisdemque fidem in Christum commendarit, probari nullo modo potest. Ipse Petrus, cum consilii divini de gentibus, ad consortium ecclesiæ admittendis, rationes nondum ita dilucide constarent, necesse habuit se defendere, Act. XI. 3. seqq. imo ipse hoc sibi vindicat, per se gentes verbum evangelii audivisse & credidisse, Act. XV. 7. Si igitur hoc ante a Thaddæo factum fuisset, adversaretur utique oeconomiæ gratiæ, primis christianismi temporibus administratæ.

§. V.

Jam paucis lustremus, exceptiones, quas contra argumenta NATALIS expromit GRABIUS. (1) Adversus sententiam GELASII, Agbari epistolas in con-

concilio 70. epiſcoporum, habito a. 494. inter apocrypha referentis, excipit: dubium eſſe, num id unquam fuerit celebratum. Equidem ingenue fateor, argumentum hoc ne mihi quidem multum ponderis habere videtur, ſi enim vel maxime *Gelaſius* hanc protuliſſet ſententiam, judicium tamen non foret ἀνυπεύθυνον. Veritatis ſtudioſo jus integrum illibatumque relictum eſſet, disquirere, quo jure, quoque fundamento *Gelaſii* effatum nitatur. Sive igitur canon hic a *Gelaſio* vere profectus, ſive illi temere fuerit adfictus, cauſſæ tamen noſtræ nil quidquam decedit. (2) Oſtenderat NATALIS, ſi epiſtola hæc Chriſti manu exarata eſſet, idque certo conſtitiſſet, tum utique meruiſſet, cui in canone librorum ſacrorum locus conceſſus fuiſſet. Reſpondet GRABIUS: in canonem ſacrum nullos fuiſſe libros relatos, niſi in quibus vita, res geſtæ, mors atque reſurrectio Chriſti, myſteria item chriſtianæ religionis ac morum doctrina declarata fuiſſent: talis autem cum non ſit hæc Chriſti ad Agbarum epiſtola, extra canonem ſacrum potuiſſe manere, potiſſimum quoniam iis temporibus, quibus canon confectus, fuerit ignota, nec ita facile ex tabulario Edeſſeno haberi potuerit. Largimur, nos non omnia apoſtolorum ſcripta habere, ſed illorum aliqua, quæ non eo fine ſcripta ſunt, ut doctrinæ & vitæ norma eſſent, temporis injuria nobis ſubducta eſſe. Id etiam haut invitus concedo, in epiſtola, qua de quæritur, non æque doctrinam fidei, vel vitæ chriſtianæ præcepta explanari. Hoc tamen mihi dari poſtulo: complecti illam inſigne documentum fidei, qui fando tantum aliquid de Chriſto inaudiverat, & ſi quidem hoc vere contigiſſet, ut Thaddæus ex pollicitatione Chriſti ſanationem miraculoſam

perfeciſſet, totamque civitatem Edeſſenam ad fidem in Chriſtum adduxiſſet, operæ certe pretium fuiſſet, ut illa res integra in apoſtolorum actibus conſignata fuiſſet. Et num exiſtimandum eſt, LUCAM ſcriptura Chriſti adeo incurium fuiſſe, ut, ſi ſciviſſet, illam Edeſſam perlatam eſſe, (ignorare autem hoc non potuit) illius vel αὐτογραφον ſibi expetiiſſet, ſaltim ἀπογραφον aliquod confeciſſet, vel conficiendum curaſſet, cumque reliquis eccleſiis communicaſſet. (3) Falſitatem epiſtolæ NATALIS ex illis verbis adſtruxerat: Ἀβγαρε μακαριος εἰ πιστευσας ἐν ἐμοι, μη ἑωρακως με· γεγραπται γαρ περι ἐμου, τους ἑωρακοτας με μη πιστευσειν μοι, ἱνα οἱ μη ἑωρακοτες αὐτοι πιστευσωσι και ζησονται. Judicaverat NATALIS, verbis illis reſpici non poſſe niſi ad ea, quæ Chriſtus redivivus, Thomæ ſeſe manifeſtans, protulerit: ὁτι ἑωρακας με, Θωμα, πεπιστευκας· μακαριοι οἱ μη ἰδοντες και πιστευσαντες Jo. XX. 29. Cum autem Evangelium Joannis longe poſt reſurrectionem Chriſti ſit exaratum, concluſerat, epiſtolam hanc dominum auctorem non agnoſcere. GRABIUS, hunc ictum evitaturus, ſe recipit ad auctoritatem H. VALESII in *adnot. ad Euſebii* H. E. p. m. 21. exiſtimantis, auctorem epiſtolæ hujus adluſiſſe ad Jeſ. VI. 9. 10. Sed qui convenientiam dictionis epiſtolæ controverſæ cum verbis Chriſti ad Thomam aliquanto propius conflixerit, fatebitur omnino, hæc ad illa dictæ epiſtolæ proximius accedere. Propoſitio in verbis epiſtolæ eſt ſingularis, μακαριος εἰ πιστευσας ἐν ἐμοι, μη ἑωρακως με: hæc autem ex illa indefinita Chriſti, μακαριοι, οἱ μη ἰδοντες και πιστευσαντες, facile formari potuit. Utraque ſenſu convenit, licet verbis aliquantulum differat. Igitur, ſi qua verba alicubi ſcripta auctor epiſto-

læ

læ in oculis habuit, illa apud Joannem ipsi obversata fuisse, est dicendum. Ponamus verbis illis γεγραπται περι εμου κ. τ. λ. digitum intendi in locum Jesaiæ excitatum, foret id sapientia Christi omnino indignum, propositionem superiorem ex his vatis elicere, quoniam in illis non agitur de præsentia Christi in carne, sed de contemtu evangelii cum valida demonstratione prædicati. Qua de caussa Paullus illa pervicacibus Judæis, qui Romæ erant, quique præconio ejus præfracte obnitebantur, adplicat Act. XXVIII. 26. 27. Igitur hac explicatione vulnus, epistolæ inflictum, non obligatur, nec sanatur, sed potius recrudescit. (4) NATALIS objecerat, si Christus opem ferre voluisset Agbaro, congruum non fuisset, ut illam post resurrectionem suam differret. Objectionem ita declinat GRABIUS: *oeconomiam officii Christi hanc moram exegisse.* Id quidem amplectimur, modo id etiam nobis concedatur, oeconomiam evangelii prædicandi turbari, ubi dicitur, Thaddæum non longe post adscensionem Christi Edessam sanatum regem & prædicatum evangelium abivisse, cum id fieri non potuerit ante, quam gratia illa Judæis oblata fuisset, quod §. 4. evictum dedimus. (5) Argumentum NATALIS, si epistolæ hæ genuinæ essent, utique ab Orthodoxis adversus Arianos productæ fuissent, ne nobis quidem omnino probatur. Satis erat argumentorum in scriptis veteris pariter ac novi testamenti, quibus hominum istorum pervicacia expugnari, Christique divinitas in tuto locari poterat. Prudentiæ igitur erat, ab illis abstinere, quorum principium longa ratiociniorum serie ante communiri oportebat: scilicet epistolam hanc a Christo vere esse scriptam, & quidem

eum in finem, quo norma atque regula fidei esset. Num autem ad illam non provocarint, quoniam de deitate Christi dubius sit sermo, ut hinc, si argumentum inde duxerint, se Arianis deridendos præbuerint, nescio, num rationes probe subduxerit vir eruditissimus. Cum communi fama stupenda Christi miracula accepisset, scripsit, καὶ ταυτα παντα ἀκȣσας περὶ σȣ, κατὰ νȣν ἐθεμην το ἑτερον τȣτων τῶν δυο· ἠ ὁτι συ ει ὁ Θεος καὶ καταβας ἀπο τȣ ȣρανȣ ποιεις ταυτα, ἠ υιος ει τȣ Θεȣ ποιων ταυτα, Verba hæc, si secundum nexum suum & vim accipiantur, non alium sensum fundunt, quam Agbarum, miraculis Christi motum, potentiam humana longe majorem ac proinde naturam divinam in ipso agnovisse, ut hinc collegerit, ipsum vel Deum supremum esse vel dei filium. Quod autem hunc a Deo distinguat, ipsumque illo minorem reputet, dicere posset aliquis, in ipso quidem fidem in Jesum fuisse, sed illam cum imbecillitate quadam esse luctatam. Sed huic etiam suspicioni obviam iri potest. Si vera est hæc epistola, Agbarus ab omni dubitatione & fidei imbecillitate immunis est declarandus. Ita enim incipit epistola, quæ Christi esse dicitur: Αβγαρε, μακαριος ει πιστευσας ἐν ἐμοι, μη ἑωρακως με. Beatus prædicatur propter fidem in Christum, in Christum autem nemo credere potest, nisi qui persuasus sit, ipsum esse filium Dei æternum, eundemque hominem factum ad patrem sanctificandum, opusque humanæ salutis consummandum. Ubi igitur Christus Agbarum caussa fidei ipsius, (*loquimur ex hypothesi*), beatum prædicavit, oportet fidei ipsius professionem recte sese habuisse. Quis, quæso, fidem Petri, de Christo confitentis, *esse illum filium dei viventis*, solicitaret? cum Christus, *cor-*

dium

dium scrutator, illam adsensu suo comprobet, μακαριος, inquiens, ει Σιμων, cetera Matth. XVI. 16. 17. Talem autem fidem alicui gentilium per immediatam atque extraordinariam operationem sine verbo externe ingeneratam fuisse, exemplum habemus nullum & luculentum est effatum Paulli, ἡ πιστις εξ ακοης, ἡ δε ακοη δια ρηματος Θεου Rom. X. 17. Nec aliter EUSEBIUS confessionem Agbari intellexit, quare probaturus την του κυριου και σωτηρος ἡμων Ἰησου Χριστου ΘΕΟΤΗΤΑ εις παντας ανθρωπους της παραδοξοποιου δυναμεως ἑνεκεν βοωμενην, in confirmationem illius epistolas has αμοιβαιας confestim subjicit. Sic igitur exceptioni GRABII, qua simul argumentum DUPINII convellere satagit, factum esse satis, confidimus. Quæ præterea adversus DUPINIUM disputat, quoniam rei cardinem non quatiunt, silentio prætermittimus. Aliqua tantum ex historia Thaddæi, curationem regis promoventis, evangelium adnuntiantis, idemque illud miraculis confirmantis, notabimus, quorum tamen quædam SUEURIUM jamdum occupasse, non diffitemur.

§. VI.

Si Thaddæus monitu Thomæ Edessam est missus, quo fides verbis domini fieret, quare ipse non ilico ad regem contendit, sed primum ad *Tobiam* aliquem divertit, ac, miraculis editis, famam, quæ ad regis aures accideret, de se sparsit? Num animi pependit, aditum ad regem sibi præclusum iri? ast promiserat dominus, se aliquem discipulorum suorum missurum esse, rex opem anxius desiderabat. An incertus hæsit, abs rege admissum iri, in incerto fluctuante, num

personam legati Christi fingeret? num ne omnem dubitationem subitanea sanatione eximere potuisset? Idem ille, ubi ad regem ingressus erat, dicitur προσκυνησαι τω Θαδδαιω. Honorasse ipsum non veneratione aliqua civili, sed religiosa, inde conjicere licet, quia in illo aliquid plus humani animadvertisse videbatur. Porro *Abdus* aliquis ὑπο τȣς ποδας αὐτȣ ἔπεσε. Non legimus, Thaddæum honorem hunc refugisse. Non igitur eodem spiritu hic ductus fuit, quo Petrus, Cornelium ejusque domum invisens, quem cum ad genua sua provolutum, seque adorantem conspicaretur, ipsum e vestigio surgere jussit, caussatus, *& ipse ego sum homo* Act. X. 25. 26. Agbarus fidei suæ in Christum sinceritatem testaturus, in hæc jactabunda prorumpit verba: nisi Romanorum potentiam vereri haberet, se Judæos bello petiturum, ipsos confecturum, inque crucem acturum esse. Itane igitur fides in Christum odia & minas spirat, cædemque hostium machinatur? quos ipsos tamen diligere, pro quibusque, ut ad deum redeant, precari voluit mitissimus sospitator Matth. V. 44. Luc. VI. 27. 28. Quibus Christus veniam delicti indulsit, in quorumque gratiam patrem suum ferventissima prece solicitavit, ne peccata ipsorum iis servaret Luc. XXIII. 34. ab his poenas reposcant ejusdem sectatores & discipuli? Et ponamus, ipsum cæco ardore abreptum non considerasse, quid christiana religio ferat, quis in animum suum inducat, ut credat, regulum, cujus potentia unius urbis, saltim exiguæ regionis ambitu circumscribebatur, eo temeritatis, ut mitissime loquar, prolapsum esse, ut, si per Romanos steterit, gentem numerosissimam, qualis per illam tempestatem erat Judæorum natio, radici-

tus

tus exſcindere voluerit? Cum igitur tot in promtu ſint rationes, quibus fides hujus epiſtolæ labefactari queat, nondum certo liquet, Chriſtum aliquid in litteras miſiſſe.

§. VII.

Sed vero ne quidem ſequentibus temporibus defuerunt qui libros aliquos ſub Chriſti nomine publicare, religioni ſibi non duxerunt. De *Simone* ac *Cleobio* in *Conſt. Apoſt.* L. VI. c. 16. relatum legimus, ipſos, ementito Chriſti nomine, ſimplicioribus fucum facere non erubuiſſe: οἰδαμεν γὰρ ὁτι οι περὶ Σιμωνα καὶ Κλεοβιον, ἰωδη συνταξαντες βιβλια ἐπ' ὀνοματι χριςου καὶ των μαθητῶν ἀυτου περιφερουσιν ἀπατην ὑμων των πεφιληκοτων χριςον καὶ ἡμας τους ἀυτου δουλους. Per Simonem hunc magus ille, cujus Act. VIII. prolixe fit mentio, eſt intelligendus, cui, quod in *recognitionibus Clementinis* L. II. c. 38. habetur, *propria ſcripta* tribuuntur, quod ipſum etiam facit HIERONYMUS in Matth. XXIV. 5. *ad volumina, a Simone mago ſcripta*, provocans. Quis vero qualisque CLEOBIUS iſte fuerit, quæve in vulgus ſparſerit ſcripta, cum alibi hominis hujus mentio injiciatur nulla, dicere non habemus. In *recognitionibus Clementinis*, quæ tamen fictum ſermonem Petri & Simonis, quod unicuique facile adparet, referunt, & ab HIERONYMO dicitur quidem, SIMONEM libros aliquos compoſuiſſe, non autem illorum fronti nomen Chriſti præmiſiſſe: conſtitutiones autem, ſic dictæ, apoſtolicæ non ejus ſunt auctoritatis, ut illis quis tuto niti queat, cum ad fidem hiſtoricam facti alicujus ingenerandam, indubiæ fidei monumenta requirantur. Quidquid igitur in il-

SCHMIDIUS diss. de *libris & epistolis cælo & inferno delatis* §. 19. p. 18. 19. Vertitur illa in commendando cultu diei dominicæ, non ut in illa homines a peccatis & vitiis desistant, contemplatione ac meditatione operum divinorum ac gloriæ supremi numinis celebratione traducant, sed ut Judæorum more ab operibus externis abstineant. Ejusdem commatis fuit illa, quam ADELBERTUS, episcopus Gallus, primum in vulgus sparsit. Dicitur illa circa medium Sæc. VIII. ministerio archangeli Michaelis de cælo Hierosolymam deportata, ibidemque prope portam Efrem reperta & post cum aliis, communicata fuisse. Totam illam, sed lacunis passim hiantem, FABRICIUS nobis legendam dat c. l. p. 309-313. quam ipsam etiam profert SCHMIDIUS cit. diss. p. 24-28. Illa pariter, ut superior, in eo unice decurrit, ut strictiorem obs servationem diei dominicæ ac abstinentiam ab operibus externis sub gravissimarum poenarum comminatione inculcet, quod ipsum adeo iejune & frigide fit, ut auctorem ab ingenio ac sapientia desertum prodat: ne quid dicam de crebris soloecismis ac barbarismis, quibus illa tota scatet, ut lectori tædium creetur. Hujus auctor reus est peractus ADELBERTUS in concilio romano II sedente ZACHARIA, a. 745. habito, quod dixerit, *sibi angelum domini in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ & tamen incertæ sanctitatis reliquias attulisse, & exinde potuisse omnia, quæcumque poposcerit a deo, impetrare*. Ipse illa per *Deneardum* presbyterum in concilii consessu fuit prælecta, & ut spuria rejecta. Vid. acta concil. T. V. concil. collect. Binianæ p. 499-503. BARONIUS annal. eccles. T. IX. p. 193. NATALIS ALEXANDER H. E.

Sæc.

Sæc. VIII. p. 217–224. Fuit *Adelbertus* iste simulandi artifex callidus, qui sub ficta pietatis specie aliis imposuit, multitudinem variis artibus sibi adjunxit, ac leges modestiæ christianæ, quæ servum domini potissimum decet, nimia superbia migravit. A moribus igitur ipsius non abit, ipsum & hanc confinxisse epistolam, quo majorem sibi apud imperitam plebeculam auctoritatem colligeret. Qua de caussa ille concilii sententia munere ecclesiastico est exutus, adeo ut ne ullam quidem ministerii sacri partem ipsi in posterum administrare integrum esset. Ipsa illa in *capitularibus Caroli* M. his verbis notatur: *pseudepigraphæ & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra catholicam fidem sunt, ut* NB. *epistola pessima & falsissima, quam, transacto anno, dicebant aliqui errantes & in errorem mittentes, quod de cælo decidisset, nec credantur, nec legantur, sed comburantur, ne in errorem pro tali scripto populus mittatur: sed soli canonici libri*, cetera BARONIUS c. l. p. 197. Et certe istius modi erudiendi suos via Christus non eget. Equidem ubi solium paternum conscendit, docendi munus non deposuit, sed fungitur illo per verbum suum, quod jam omnibus numeris absolutum habemus, quod ubi per spiritus sui efficaciam animat, ut intellectus noster veritates revelatas in omni nexu suo adripiat, in iisdemque incrementum usque capiat, judicium illas admittat, voluntas iisdem se subjiciat, adfectus refrenentur ac virtutes excellentissimæ in effectum deducantur, non est, quod novam de cælo revelationem exspectemus. Hujus generis figmenta alia in medium adducere possemus, sed consultum non est, ineptiis istis immorari, quas qui agnoscere avet, consulere potest, JO. ALBERT. FA-

FABRICIUM diff. de *scriptis, quæ ad Jesum Christum tanquam auctorem relata sunt*, cod. apocr. N. T. vol. I. p. 303–321. in qua & alia, quae ad argumentum nostrum spectant, habentur.

§. IX.

Quare cum, quod adhuc prolixe est demonstratum, Christum aliqua scripto consignasse, certis argumentis evinci nequeat, non possumus, quin illorum sententiæ subscribamus, qui dominum nil quidquam scripsisse, adfirmant. HIERONYMUS id quasi extra dubitationis aleam ponit, dicendo: *unde & Salvator nullum volumen doctrinæ suæ proprium dereliquit, quod in plerisque apocryphorum deliramenta confingunt, sed patris & suo spiritu quotidie loquitur in corde credentium*, comm. in Ezech. c. XLIV. p. 1034. edit. *Martianæi*. Id ipsum pariter pro certo ponit AUGUSTINUS de *consens. Evangelist*. L. I. c. VII. quando quæstionem illam excutit, num veritati evangelicæ quidquem decedat, si & dicamus, Christum non aliquid in litteras misisse. Equidem GRABIUS *Hieronymi* & *Augustini* verba ad *libros majoris molis*, quales sint evangelistarum libri, restringit. Sed nisi me omnia fallunt, GRABIUS non alia de caussa restrictionem hic fingit, quam quo aliqua cum veri specie ὑποθέσει, semel adsumtæ, servire posset. Si enim Jesus aliquid tantum, quantulum etiam cumque fuisset, in suorum instructionem scripsisset, AUGUSTINUS contradicentibus os ilico obturare potuisset: sed largitur hoc, id agens, ut demonstret, abstinentiam Christi a scribendo in detrimentum Christianæ religionis non vergere. Nec *volumen* semper notat librum majo-

ris

ris alicujus molis, sed aliquando etiam libri partem, eandemque non satis anplam. Testimoniis hoc comprobatum dedit FABER in *Thesauro Eruditionis Scholasticæ*, & qui illum accessionibus locupletarunt. Conferri potest JO. NICOL. FUNCCIUS V. C. in elegantissimo libello de *scriptura veterum* c. VI. §. 6. p. 223.

§. X.

Si vero jam cognitum est ac exploratum, Christum non aliquid scripsit, proximum est hoc, ut anquiramus, num id factum fuerit ex defectu, quoniam, scribendi peritia fuerit destitutus, vel an a scribendo certo ac deliberato *consilio* ob rationes sapientes abstinuerit? Licet enim vir doctissimus PAUL. CHRISTIANUS HILSCHERUS in diss. de *studiis Christi ἀτερ γραφης* §. 5. p. 28. miscell. lips. antiqu. T. V. diserte scribat: *nec ipsa scriptura, nec alio idoneo teste doceri potest, salvatorem dominumque nostrum Jesum Christum tenuisse artem scriptoriam, aut si tenuerit, unquam exercuisse:* multa tamen sunt, quæ suadent, dominum nobilissimam hanc artem non usque adeo neglexisse, ut illius expers omnino fuerit. Christus ex Ægypto redux cum matre sua ac Josepho Nazaretham habitatum concessit Matth. II. 23. Luc. II. 51. ubi loci ad id usque tempus est moratus, quo ministerium, ipsi a patre destinatum, est exorsus. Totum autem illud tempus, primos etiam adolescentiæ annos, istius modi dedisse προγυμνασμασι, quibus ad sacratissimum munus suum præpararetur, probabile est maxime. Mente quidem gaudebat perfecta, non peccatorum, non præjudiciorum, aut pravæ concupiscen-

ſcentiæ labe deformata, necdum tamen ſupremum perfectionis gradum adepta, ad quem proinde per gradus progredi debebat. Divinitas arctiſſime juncta vires intellectus, ingenii ac judicii mirum quidem in modum evehebat, nec tamen ordinarios cognitionis & parandæ & augendæ vias prorſus excludebat. Sapientiſſimum numen potentiam ſuam extraordinariam non expedit ante, quam ubi ordinariis mediis res in effectum deduci nequit. Id ipſum declarat LUCAS, de Chriſto teſtatus, καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ c. II. ſ 2. Igitur divina ſapientia non ſtatim omnem vim ſuam cum humana Chriſti mente communicavit, ſed vires ingenii, quæ illi connatæ, ſive inſitæ erant, uſu & exercitio fuerunt elicitæ, non excluſis cognitionis augendæ adminiculis, quod utrumque verbum προέκοπτε ambitu ſuo involuit. Profectus ille, ſive incrementum Jeſu deſcribitur hic loci cum ratione *corporis*, tum ratione *mentis*. Mens proficiebat ſapientia, corpus ſtatura ac proceritate. Uti corpus Chriſti auctum non eſt ſtatura niſi beneficio ciborum ac alimentorum adſumtorum: ita etiam mens ipſius novos ſapientiæ auctus eſt ſortita ope doctrinæ, quæ animæ quaſi eſt pabulum. Igitur vix eſt dubium, quin ſcholas adierit, in iisdemque ea, quæ ad patriam legem, religionem, virtutis cultum, communemque ſalutem ſpectant, addidicerit; a quibus omnibus ars ſcriptoria ob inſignem utilitatem commode ſejungi nequit.

§. XI.

Nec Maria cum conjuge Joſepho in Jeſu, ad doctrinam pietatemque ac morum ſanctitatem formando,

mando, ullam curam omisisse, videntur, quos ad hoc tot egregia de ipso edita oracula ac vaticinia, tot divinæ indolis jamdum exhibita specimina exstimulabant. Fuerint pauperes, præclara tamen Jesu indoles pronos facile propitiosque invenit præceptores: junxerit socias manus Josepho in labore, incredibilis tamen illa vis memoriæ, ingenii, judicii feliciter pensavit illa, quæ alienæ occupationes deterebant. Nec occasio frequentandi scholas ipsi defuisse, est dicendum. In quibuscunque fere urbibus & oppidis Judæorum scholas constitutas habebant, in quibus primæ ætatis pueri & adolescentes instituebantur. Luculentus hanc in rem est locus MAIMONIDIS hilel *talm. tora c* II. מושיבין מלמדי תינוקות בכל מדינה ומדינה בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר וכל עיר שאין בה תינוקות של בית רבן מחרימין את אנשי העיר עד שמושיבין מלמדי תינוקות ואם לא הושיבו מחרימין אתהעיר שאין העולם מתקיים אלא בהבל פיהם של תינוקות של בית רבן. *In unaquaque provincia, vico & urbe constituunt, qui pueros doceant. In quacunque vero urbe non sunt pueri, qui domum magistri discendi ergo adeant, illius incolas anathemate percutiunt, usque dum constituant ludimagistros. Et si ne tum quidem illos constituant, locum illum devastant, quia mundus non subsistit nisi propter halitum puerorum scholæ.* Locum hunc debemus industriæ magni quondam philologi, JAC. RHENFERDII de *decem otiosis Synag.* diss. II. §. 14. 15. p. 265. 266. qui pro posteriori מחר ימין secundum gemaram & *R. Josephum Karo* non sine ratione legi vult מחרי בין. Confer. JO. JAC. CRAMERUS ad cod. succa p. 257-260. qui ex gemara schabbas locum adducit, Hierosolyma

C propter-

propterea devastata esse, quoniam incolæ filios suos a domo præceptoris cohibuerint. Adhæc fuit Nazarethæ schola Luc. IV. 16. Uti autem ad Synagogam constituendam docti quidam ac periti viri requirebantur: ita probabile est admodum, ex illis aliquem in gratiam primæ adolescentiæ scholam aperuisse. Ipsi parentes, si quidem alia occasio deesset, hoc officii filiis suis præstare tenebantur, ut, quam primum ætas sineret, ipsos litteras docerent, & lectioni ebraicæ adsuescerent. Ita quippe BARTENORA ad verba R. JEHUDÆ filii Temæ בן חמש שנה למקרא *puer quinque annos natus, destinetur lectioni scripturæ. Pirke abbot* c. v. §. 21 commentatur: אביו מלמדו צורת האותיות והכר הנקודות *parens ipsius docet illum figuras litterarum & notitiam punctorum tradit.* Quæ verba pariter excitat cel. DASSOVIUS diss. de *infante ebræo liberaliter educato* §. 3. 4. p. 5. qui simul excitat MAIMONIDEM. Et si quidem testimoniis illorum, qui de occupationibus Christi puerilibus aliquid litteris sunt complexi, stare liceret, res hæc extra omnem dubitationis aleam posita esset. Illi nomine citant magistrum, stupendos in litteris progressus enarrant, ipsumque ad summum sapientiæ ac doctrinæ fastigium mira quadam celeritate grassatum esse memorant. Sic homo iste, qui *Evangelium*, sic dictum, *infantiæ Christi* arabico idiomate concinnavit, a cl. SIKIO latine conversum ac notis illustratum, narrat, Josephum & Mariam puerum ad magistrum, cui nomen fuerit Zacchæo, Hierosolymis deduxisse, qui cum notitiam litterarum ipsi impertiri cœperit, non solum singula litterarum elementa ordine recitasse, verum etiam multas arduas quæstiones eidem solvendas proposuisse,

ut

ut magister pueri doctrinam fuerit miratus p. 142-147. Ipsum hoc post alii magistro evenisse, idem ille subdit p. 147-149. Fabula hæc adeo antiqua est, ut illam in libris apocryphis & spuriis circumlatam fuisse, jamdum perhibeat IRENÆUS *adverſ. hæres* L. I. c. XVII. COTELERIUS eandem refert ex libro manu exarato, cui titulus, *de infantia & miraculis domini nostri Jesu Christi*, obvio in bibliotheca regia, cujus partem aliquam exhibet ad *constitut. apost.* T. I. *patrum apostoli* p. 345. 346. Judæi testantur, ipsum non solum primis litterarum rudimentis innutritum fuisse, verum etiam in academia Hierosolymitana studiis academicis obsecundasse, & sub auspiciis R. JOSUÆ, filii Perachiæ, in interiora eruditionis judaicæ penetralia se immisisse. Habet hoc auctor futilis, mendaciis & virulentia in Jesum scatens, qui *historiam Jesu Nazareni*, consarcinavit: וילד ירושלימה וילמד ישוע בבית מדרשו של רבי יהושע בן פרחיה וילמד גם מעשה מרכבה וסוב שם המפורש *contendit Hierosolyma, & doctrinæ operatus est in academia* R. JOSUÆ, *filii Perachiæ, & didicit* (præter alias partes eruditionis judaicæ) *etiam opus currus & mysterium nominis ineffabilis*, p. 14. *edit. Huldric.* Non inquiremus, num Josua hic ætatem Jesu attingere potuerit, nec quo animo hæc homo iste scripserit, neque hoc probabile nobis habetur, ipsum doctrinam judaicam, qualis tum in scholis vigebat, animo complexum fuisse: hoc tantum volumus, credibile esse, ipsum ludos litterarios frequentasse, in iisdemque tantum profecisse, ut ebraice legere ac sacrum codicem volvere potuerit, & hanc fuisse universalem fere persuasionem, unde

incertæ illæ narrationes de præceptoribus & studiis juvenilibus Jesu originem suam traxere.

§. XII.

Addimus, ipsum legendi peritia præditum fuisse, quod indubio Lucæ testimonio patescit c. IV. 16. quantumque in oraculis divinis fuerit versatus, non semel & iterum, sed aliquoties demonstratum dedit Matth. XII. 3. coll. Marc. II. 25. Luc. V. 3. Matth. XIX. 4. 6. c. XXI. 16. 42. coll. Marc. XII. 10. Matth. XXII. 32. coll. Marc. XII. 26. 29–31. it. Luc. X. 27. & sic in aliis locis. Et cum post suum ex mortuis reditum cum duobus discipulorum Emmauntem versus contenderet, atque ipsi illi de absentia corporis ejus ex sepulcro solicitis circumagerentur cogitationibus, omnes scripturæ veteris testamenti libros pervasit, ex iisdemque necessitatem perpessionum suarum, & inde secuturæ gloriæ, ad ipsorum convictionem ostendit Luc XXIV. 27. Quodsi igitur certo constat, ipsum in publica concione populi scripturas promte legisse, si ipse porro ad oracula divina in orationibus extemporaneis provocavit, illam legendi peritiam vel per miraculose ipsi impertitam vim est indeptus, vel ordinariis adminiculis facultatem illam & habitum est consecutus. Sed quoniam Deus miracula præter necessitatem non multiplicat, nec ad illa procedit, nisi ubi ordinariæ viæ deficiunt §. 10. illas autem non defuisse §. 11. demonstravimus, efficimus, ipsum illum legendi usum & promtitudinem sibi in scholis comparasse, vel si id minus adrideat, cura & industria parentum sibi conciliasse, quod cl. JO. ERN. SCHMIDIO in

diss.

diss. *de promotione academica Christo & apostolis perperam tributa* §. 12. p. 22. visum est, prius tamen ob rationes adlatas praetulerim. Sed vero dicat aliquis, ubi quondam in conferta hominum, undique confluentium, turba sermonem ad ipsorum convictionem habuisset, ipsorumque animos insigniter movisset, aliquos praesentium stupore raptos, exclamasse: πως ὑτος γϱαμματα οιδε, μη μεμαθηκως Jo. VII. 15. Nequid dicam, non constare, quo animo & qua certitudine haec protulerint. Sermone suo divina sapientia conditor auditores perculerat. Illos igitur admiratio & stupor invadebat, incertos, unde tanta ipsi esset sapientia, tanta eloquentiae vis, cum tamen litteras in scholis altioribus בתי מדרשות, academiis suis, nunquam didicisset Quare verba haec neutiquam de litterarum, ipsiusque adeo lectionis ignoratione sunt intelligenda. In quem sensum etiam accipi posse, judico verba ORIGENIS *contra Celsum* L. VI. p. 286. edit. *Spencer.* μηδε γϱαμματα μεμαθηκως, ὐ μονον τα ἑλληνων, ἀλλ' ὐδε των ἑβϱαιων. Objecerat homo, Christum παϱοιμιαν de camelo transeunte foramen acus sublegisse Platoni, contrarium demonstraturus doctor adamantinus: *tantum abest*, inquit, *ut Jesus academiae principis libros versaverit, ut ne quidem sapientium Judaeorum scriptis se dederit.* Illud etiam, quod LIGHTFOOTUS de ipso pronuntiat, *fuisse educationis non litterariae*, opp. T. II. p. 281. cum grano salis est accipiendum. Ipsum ἀπαιδευτον prorsus fuisse, juxta demonstrata dicere non possumus. Sin educationem litterariam accipit de more, tum temporis in scholis usitato judaicis, quo minutias legis tantum ac inania traditionariorum interpretamenta consectabantur, eademque

alumnis suis inculcabant; facile admittimus. Sicubi scholas adiit Christus, vel etiam divinas litteras volvit, sapientiam divinitus manifestatam quaesivit: quae praeter & contra scripturam a superstitiosis hominibus excogitata erant, illa tanquam vana hominum δεισιδαιμόνων figmenta & nugamenta explosit.

§. XIII.

Sed audio mihi quenquam regerentem. Quorsum ista copiose & prolixe dissertantur, Jesum legendi peritia destitutum non fuisse, illamque facultatem sibi in ludo litterario Nazarethano paravisse §. 11. hoc tibi, quod receperas §. 10. probandum incumbit, scribendi etiam artem calluisse? Bene mones, quisquis es, sodes? Sed haec habeas, velim. Licet non ita certis ac evidentibus argumentis hoc ipsum efficere queamus, confidimus tamen, probabilibus id nos conficere posse. Qui litteras novit, scribendi artem non facile negliget, maxime si illius addiscendae occasio suppetat, & qui in litterarum notitia probe est versatus & lectioni adsuetus, eo facilius & felicius ad scribendi artem pedem promovere poterit. Et si verum est, quod Judaeorum magistri multa cum confidentia adseverant, *unum ex legibus adfirmativis esse, ut Israëlitarum quivis legem sua manu in usum suum sibi scribere debuerit*, quod de Jesu diximus, nos non temere posuisse, facile dabitur. Habet hoc MAIMONIDES de *regibus Ebraeorum* c. III. §. 1. edit. *Leydeckeriana*, *opusc. ad historiam ac philolog. sacr. spectant.* fascic. IX. p. 31. collect. *Cremiana*. Clarius ac disertius idem in הלכות תורה c. VII. §. 1. מצות


עשה

עשה על כל איש ואיש מישראל לכתוב תורה לעצמו שנא׳ ועתה כתבו לכם את השירה כלומר כתבו לכם תורה שיש בה שירה זו לפי שאין כותבין פרשיות ואף על פי שהניחו לו אבותיו ספר תורה מצוה לכתוב משלו ואם כתבו בידו הרי הוא כאלו קבלה מהר סיני: *Est præceptum adfirmativum, quod obligat unumquemque Israëlitarum, ut scribat sibi* (in usum suum) *librum legis, dicitur enim* (Deut. XXI. 19.) & nunc scribite vobis canticum hoc. *Vult dicere, scribite vobis legem* (volumen legis) *in quo canticum hoc continetur; non enim scribunt legem separatis sectionibus. Et si quidem parentes per hæreditatem reliquerint ipsi legem, præceptum tamen hoc ipsi incumbit, ut sibi scribat legem. Quam si scriberet sua manu, perinde fuit, ac si illam ex monte Sinai acceperit.* Equidem additur statim, quod, qui artis scriptoriæ rudis fuerit, librum legis ab alio sibi describendum curare potuerit. Sed si lex hæc usu viguit inter Abrahami progeniem, existimarim, non facile quemquam generosioris indolis in gente ista fuisse repertum, qui non hanc operam sacratissimæ legi dederit, maxime cum qui id fecerit, tanti haberetur, ac si legem de monte Sinai ex ore Dei audivisset. Mos autem ille satis antiquus est censendus. Quæ enim hic habet MAIMONIDES de scriptione pentateuchi, illa ex *gemara Sanhedrin* fol. 21. col. 2. hausta esse evincit cel. BASHUYSENIUS, qui in *observationibus* suis *sacris* ad posteriora capita MAIMONIDIS est commentatus. Si igitur Israëlitarum quivis volumen Librorum Mosaicorum sibi describere fuit obstrictus, ad artem scriptoriam simul fuit obligatus: & quoniam Jesus

ſus æque ac quivis alius Iſraëlitarum ad legem moſaicam obſervandam, ſpeciatim illam implendam, tenebatur, etiam huic conſuetudini, non illaudabili, morem geſſiſſe, dicere poſſumus. Hoc igitur poſito, ſcribendi peritia deſtitutus non fuit.



SECTIO



SECTIO II.

DE EO, QUARE CHRISTUS NON ALIQUID SCRIPSERIT.



CONSPECTUS.

Rationes, quare Jesus doctrinam suam scripto non fuerit complexus, investigantur. §. 14. Quas THOMAS AQUINAS adducit, accuratum non sustinent examen. 15. Illæ petendæ partim ab relatione, quam ad patrem suum, partim quam ad homines redimendos habuit, partim a circumstantia temporis, quo munus suum in hoc orbe nostro obiit. 16. Non in relatione ad patrem, neque ad redimendos, quoniam is ea, quæ Christus agere debebat, accurate per scribenda curaverat, quæ etiam hic perfectissime implevit. 17. Non ratione temporis, in quod ministerium Christi incidebat, quo ipso vetus oeconomia adhuc durabat. 18. Si Christus scripto

complexus esset doctrinam suam, (1) quæ ipsius mortem ac inde secutam gloriam spectabant, per modum prophetiæ præsignificare debuisset. 19. (2) Doctrinæ morum non efficacia satis motiva substerni potuissent, (3) si docuisset, Judæos rejiciendos, gentes contra ad consortium ecclesiæ vocandas esse, doctrinæ ipsius impedimentum poni potuisset. 20. Num Christus propterea nihil scripserit, ne scripta sua majoris, quam aliorum virorum divinorum haberentur? (4) Non res suas ipse scripsit, quoniam ab aliis testimonium accipere maluit. 21. Nec necesse fuit, ut quamdiu Christus in vivis fuit, doctrinam suam scripto consignaret, quia numerus discipulorum ipsius fuit non ita magnus, doctrinas suas sæpe repetiit, & si quis scrupulus suboriretur, ipsum interrogare poterant. 22. Serius etiam libri divini N. T. sunt consignati, unde colligitur, necessum non fuisse, ut Christus doctrinam scripto complecteretur.

§. XIV.

Demonstravimus Sect. I. Christum doctrinam suam scripto complexum non fuisse, atque id ipsum non ex scribendi imperitia fecisse. Ipsum eximium veritatis doctorem fuisse, & doctrinas, quæ sapientissimos quosque fugiebant, clare ac dilucide proposuisse, nemo, qui quæ fidi ipsius internuntii victuris chartis commiserunt, admittit, facile inficias ire potest. Quando præterea artis scriptoriæ haut fuit ignarus, id ipsum etiam, si quid scripsisset, magno emolumento illorum, qui doctrinæ ipsius accessuri erant, futurum fuisset, nec tamen quidquam in litteras misit, opor-

tet

ret hujus sui consilii certas habuisse rationes: ut quis, qui necessariis viribus est instructus, aliquid scribat, vel non scribat, est actus voluntatis: sed vero voluntas per rationes determinatur, ut quid velit, vel nolit, ut ad opus aliquod effectui dandum se accingat, vel illo abstineat. Et quo majori quis sapientia aliis praecellit, eo clarius rationes, quae voluntatem flectunt, perspexisse, judicatur, eo certius, justius ac gravius incitamentum ipsi praesto fuisse oportet. Quod cum de omni homine sapientia praedito dici possit; quanto magis id de Christo, qui mortales omnes perspicacia, acumine, sapientia longissime vicit; est adfirmandum. Quas rationes ut vestigarent; Theologi omnem ingenii aciem intenderunt. Adducemus tantum virum suo aevo celebratissimum, quique hodierno adhuc die magnae inter pontificios est existimationis, THOMAM AQUINATEM, qui hanc quaestionem, *utrum conveniens fuerit, ut Christus doctrinam suam scriberet?* meditatione sua dignam judicavit, *summa totius theologiae* P. III. quaest. 42. art. 4. p. 87. edit. *Lugdun.* Negativam sententiam ob sequentes tuetur rationes, (1) quoniam Christum excellentius longe doctrinae genus ob dignitatem personae decuerit, ut sc. doctrinam suam auditorum cordibus imprimeret. (2) Quia tanta sit doctrinae Christi excellentia, ut litteris comprehendi non possit; quam si scripto mandasset, nihil altius de ejus doctrina homines aestimarent, quam quod scriptura contineret. (3) Ut ordine quodam ab ipso doctrina ad omnes perveniret, dum ipse sc. discipulos suos immediate docuit, qui postmodum alios verbo & scripto docuerunt. Caussam hanc adfert, si ipse scripsisset, ejus doctrina ad omnes immediate

te pervenisset. Sed enim, ne quid dicamus, rationes, si quis secundam exceperit, eo tendere, ut adpareat, quare Christus per alios doctrinam suam litteris perscriptam voluerit, circa *primam* aliquis non sine ratione monebit, illam nimis esse vagam, nec satis determinatam. Quid enim, num omnium auditorum suorum animis doctrinam suam infixit, quod solum privum fuit illis, quos sibi, dum in vita esset, elegit, ut vitæ, actionum, mortis ac resurrectionis suæ testes essent, quosque speciatim sibi adjunxit, ut doctrinam suam, & ore & scripto ad Judæos pariter atque gentes, diis fictitiis servientes, perferrent, qui tamen, antequam virtute spiritus sancti supervenientis inducerentur, adeo tardi erant, ut vim doctrinæ Christi non adsequerentur, & circa gravissimos articulos haut leviter errarent. Quod *secundam* attinet, utique Christi, qua veri Dei, excellentia, scientia, sapienta ac aliæ perfectiones sunt tantæ, ut illas humanus intellectus, arctis admodum circumscriptus terminis, plene capere non possit. At enim uti propitium numen in scriptura V. T. illa συγκατάβασιν est usum, ut, quæ ad salutem scitu ac creditu sunt necessaria, ita perscribenda curaverit, ut ab homine attento ac veritatis studioso, quantum ad salutem satis est, intelligi queat: id ipsum eo magis de doctrina Christi dicere possumus, quæ apertior ac dilucidior illa, quæ sub prisca oeconomia obtinuit. Quem prætexit metum, si Christus doctrinam suam litteris mandasset, homines litteræ tantum inhæsuros, nec altius quid de ipsius doctrina judicaturos fuisse, quam quod littera præferat, ille non evanescit, ubi doctrina ipsius per alios scripto expressa fuit: facile enim hæc cogitatio hominum in veri-

tate non satis fundatorum, inque religionis negotio leviter versantium animos subibit, non altius quid in scriptura contineri, quam quod verba & sententiæ suggerunt. Sed vero qui viva ac experimentali veritatum in sacris litteris manifestatarum cognitione gaudet, ille in cortice non hærebit, sed ad ipsum nucleum penetrabit, videbit veritatem in omni suo nexu ac harmonia, illa delectabitur, ipso opere exprimet, ac beneficio Spiritus Sancti in alias itemque alias veritates profundius se immittet.

§. XV.

Cum igitur rationes ab AQUINATE in medium prolatæ, examen acre, quod §. 14. demonstravimus, sustinere nequeant, nec tamen dubitare liceat, Christo certas, justas ac sapientes consilii sui rationes constitisse, in illas inquirere operæ erit pretium. Christus in opere mediatoris relationem habuit tum ad Deum patrem, legislatorem ac judicem humani generis, tum ad homines, extremo exitio eripiendos, eosdemque cælo adserendos. Nihil igitur convenientius est, quam ut rationem hujus consilii Christi quæramus partim in illa relatione, quam ad patrem habuit, partim in relatione ad homines redimendos, partim in temporis conditione, quo optimus magister noster munus sibi demandatum in hoc orbe nostro administravit.

§. XVI.

Quod *primum* spectat, quidquid Christus in tempore egit, quidquid perpessus est, id ipsum ex

ex conſilio ac præſcripto patris ſui egit & paſſus eſt. In æterno pacis conſilio voluntati patris ſui adſenſus eſt, in omnibus igitur actionibus & perpeſſionibus ſuis nutui patris ſui obſequio promtiſſimo ſe ſubmiſit. Ita David Meſſiam loquentem introducit, *patrem ſibi aures ad auſcultandum aperuiſſe, ſumma voluptate, voluntatem ipſius ut faciat, duci, legem ipſius in medio viſcerum ſuorum eſſe* Pſ. XL, 7-9. huc omnes ſuas cogitationes, curas, ſtudium tendere, quo voluntati patris ſui omni ex parte faciat ſatis. Hæc ratio eſt, quare Chriſtus de ſe diſerte pronuntiat, *ſe non facere voluntatem ſuam, ſed patris, qui ſe miſerit* Jo. V. 30. VI. 38. in eo omnem ſuam voluptatem ponebat, horſum omnes mentis ſuæ motus & deſideria converſa erant: *cibus meus*, inquit, *eſt, ut voluntatem illius, qui me miſit, faciam & opus ipſius perficiam* Jo. IV. 34. Quare quoniam ſe in omnibus ſuis actionibus ſe ad nutum patris ſui componebat, in prophetarum oraculis nomine *ſervi* ſæpe venit Jeſ. XLII. 1. XLIX. 3. 5. 6. Zach. III. 8. & quidem *ſervi juſti* Jeſ. LIII. 11. Quando igitur Chriſtus, quâ ſervus patris, voluntati patris totus obtemperavit, nec quidquam fecit, vel omiſit, quod non legi, ſibi a patre præſcriptæ exactiſſime conveniret, etiam omiſſionem ſcriptionis ex conſilio ac propoſito patris proceſſiſſe, eſt certiſſimum. Hic autem, qua eſt pronitate & benignitate in miſeros mortales, ab illo inde tempore, quo primi noſtri parentes in fœdus gratiæ fuerunt recepti, provide curavit, ut ratio ipſis conſtaret, qua peccatum expunctum, ipſoſque illos ſibi reconciliatos volebat. Atque illam quidem in primo Evangelio ænigmatibus involutam primis noſtris parentibus, pec-

peccatorum conscientia trepidis, initio manifesta-vit, quae vero cum tempore crebrioribus revela-tionibus, sanctis patribus factis, & item ministe-rio virorum sanctorum, prophetarum, speciatim electorum & sanctitatis decore fulgentium, cla-rior usque facta. Neque hi revelationes, quae ipsis obtigerunt, sibi servarunt, sed, ut & prae-senti & futuro aevo inservirent, divino impulsu acti, in litteras retulerunt. Hi tempore & loco disjuncti, eandem doctrinam, primo Evangelio exacte respondentem, diversis libris fuere com-plexi, qui quoniam prisca vigente oeconomia sunt exarati, conjunctim vetus testamentum adpellan-tur. In illis persona Messiae a necessariis characte-ribus suis describitur, munera, quae in eminen-tissimam gloriam patris sui & in salutem homi-num exantlare debebat, explanantur, status ip-sius, quos subire debebat, declarantur, aliquan-do etiam Ἐλάχιστα, quae non adeo magni viden-tur esse momenti, describuntur. Idem in cultu umbratili repraesentabatur, ut, qui oculis fidei tabernaculum & templum cum omnibus illis cae-rimoniis, quae in eodem peragebantur, quaeque totidem typi ac repraesentamina Christi, benefi-ciorum per ipsum adducendorum, & cultus spi-ritualis olim instaurandi, erant, elegantiam & concinnitatem illorum satis mirari non poterant. Christi igitur erat eo niti, quo, quae de ipso a prophetis praesignificata erant, ipso actu imple-ret, quae in umbris legis rudi penicillo adumbra-ta erant, ipsa rei veritate exhiberet. Inter requi-sita Messiae etiam hoc erat, ut *doctorem* age-ret. Ipse futurus erat *magnus* ille *propheta* Deut. XVIII. 15: 18. Jes. L. 4. *doctor justitiae* Joel. II. 23. *praeco in fine* Habac. II. 3. qui tempore

prae-

præstituto ad finem decurrente præsto adfuturus erat. Ab ipso igitur, qua doctore, requirebatur, ut doceret, minus ut doctrinam suam scripto complecteretur. Neque id necesse erat ratione illorum, qui doctrinam ipsius pronis auribus ac animis admittebant. Ab his tantum postulabatur, ut ad ipsius doctrinam atque miracula attenderent, eademque cum illis, quæ in lege & prophetis de ipso præsignificata erant, sine anticipatis opinionibus contenderent, sicque ex hac collatione experimento cognoscerent, Jesum Nazarenum esse illum, quem tamquam redemtorem sancti vates præcinuerant. Quare ut Judæos convinceret, ad testimonium Mosis, qui de se scripserit, provocat Jo. V. 46. & ubi ex mortuis redivivus discipulis, Emmauntem contendentibus, socium se adjungeret, & cum illis de necessitate resurrectionis suæ sermonem misceret, ex Mose atque prophetis demonstravit, Messiam primum pati, inde vero gloriam ipsi destinatam adire debere Luc. XXIV. 26. 27. Ex his igitur prono alveo fluit, neque ex consilio patris sui doctrinam suam sectatoribus suis scripto tradere, sed tantum doctrinam Mosis & prophetarum, a falsis Pharisæorum interpretamentis vindicare, illam illustrare, & ad se adplicare debuisse. Neque, ut doctrinam suam scripto comprehenderet, populi judaici, ad quem veniebat, conditio postulabat; illi quippe in manibus suis habebant Mosis & prophetarum Oracula, quorum effata ubi cum persona Christi, ipsius doctrina ac stupendis operibus studiose confligebant, aliter fieri non poterat, quam ut ad ipsum, tamquam prophetam, a Mose promissum, se reciperent, ejusdemque doctrinam fide firma amplecterentur.

§. XVII.

§. XVII.

Neque denique conditio temporis, quo munus suum obivit, patiebatur, ut doctrinam suam, scripto contentam, suis relinqueret. Quidquid in tempore accidit, id æterno ac immutabili decreto divino, quod ad omnem modum, est definitum, & quod ita sapientissime constituit, in tempore exsequitur. Quoniam autem in omnibus actionibus divinis potentia & sapientia ipsius pari passu ambulant, etiam hoc constituit, ut omnia tempore commodissimo maxime ac opportunissimo fierent. Non certe perinde est, in quod tempus res aliqua incidat. Quæ uno tempore non nisi multa cum difficultate, imo plane non fieri possunt, illa alio fausto ac auspicato cum successu, nullis impedimentis oppositis, dantur effectui. Imo quoniam ipse infinito suo intellectu inde a principio ad finem usque, adeoque rerum se invicem excepturarum seriem penitissime perspicit Jes. XLVI. 10. per vigilem suam providentiam longe ante ea molitur, quæ quasi præparationes sunt, ut istæ temporis circumstantiæ se aperiant, quibus hoc vel illud opus Dei exsecutioni dari possit. Hinc sapientissimus regum ubi, exemplis in medium adlatis, demonstrasset, singulis rebus esse adpropriatum sibi tempus Eccl. III. 1-8. hisce axiomatis quasi loco substernit illud: *ipsum* (Deum) *facere omne pulcrum* בעתו *tempore suo*, i. e. opportuno admodum & adcommodo v. 11, atque viis Dei adscribuntur ἴδιοι καιροὶ 1 Tim. VI. 15. Quod si jam tempus consideramus, quo Christus homo factus adparuit & docuit, dicimus quidem illud ad doctrinam suam spargendam idoneum fuisse; supererant adhuc, qui in prisca patrum fide persi-

ſtebant, quique proinde παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ, au-
ctorem conſolationis ac veræ ſalutis anxiis votis exſpectabant. Plebs ſacra præceptorum externorum & cærimoniarum religioſarum onere premebatur, ut ſub nimia illa mole fatisceret, libertas ipſorum circa adiaphora nimium quantum erat circumſcripta. Mirum igitur non eſt, Chriſti, qui Phariſæorum commenta rejiciebat, verum Dei cultum non in exercitio operum externorum conſiſtere, Deumque in ſpiritu ac veritate adorandum eſſe, ſerio inculcabat, doctrinæ plures acceſſiſſe, quorum plures procul dubio jamdum ſermonibus ac hortationibus Joannis præparati erant. Enimvero quod tempus aptum erat ad id, ut ipſius doctrina illorum animis ingeneraretur, illud non æque idoneum erat, ad eandem ſcripto complectendam. Tempus, quod Chriſtus vivendo ac docendo illuſtrabat, erat ſuo modo adhuc tempus V. T. (ſumimus notionem in omni ſua amplitudine). Templum adhuc ſtabat, in quo omnes religionis externæ ritus ſecundum legem Moſis peragebantur, gaudebant adhuc terra, ipſis a Deo adſignata, in eaque ſecundum leges civiles, quarum pariter auctor Moſes erat, maxima ex parte vitam agebant. Sed vero Chriſtus non erat mediator Veteris, ſed Novi Teſtamenti Ebr. IX. 15. XII. 24. quod ipſe ſuo ſanguine confirmavit. Matth. XXVI. 28. Marc. XIV. 24. Luc. XXII. 20. Atque hoc ſuper teſtamento pepigit fœdus cum Iſraële ſpirituali novum, diverſum ab illo, quod cum Abrahami poſteris conciliavit, ubi ipſos ſervitute Ægypti expedivit, ſibique in populum peculii vindicavit Jer. XXXI. 31–33. coll. Ebr. VIII. 8–10. Licet igitur miniſterium Chriſti totum eſſet evangelicum, illi tamen tempori illi-

illigatum erat, quo oeconomia legalis adhucdum vigebat. Quare si doctrinam suam scriptis explanare voluisset; illa spectasset vel ad vetus, vel ad novum testamentum. Non ad vetus, quoniam ministerium Christi omnisque ejus doctrina erat evangelica, & canon V. T. dudum erat clausus: non ad novum, quandoquidem illud nondum erat confirmatum, nec sollemni spiritus sancti missione initiatum: nisi intermedium aliquis tempus, quod neque ad V. neque N. T. pertineat, constituere velit, quale quid visum doctissimo Theologo Gallo, MOSI AMYRALDO, *Syntagm. thes. theol. Salmuriensium* P. IV. p. 43-45. 49. quale tamen tempus convenienter scripturæ cogitari nequit. Hæc ipsa etiam ratio dari potest, quare Joannes ὁ βαπτιστης nil quidquam scriptum reliquerit, qui tamen, Christo judice, prophetas, omnes, qui ipsum antecesserant, longe superavit Matth. XI. 11. Ipse quippe proximus anteambulo Messiæ erat, qui ipsi incedenti viam planam sternebat, ipsumque non eminus tuebatur, sed præsentem aliis digito monstrare poterat.

§. XVIII.

Sed dicat aliquis, concessum est §. XVII. totum ministerium Christi esse evangelicum. Ponamus igitur; tempore illo, quo docendi munere est functus, V. T. adhuc viguisse, nonne ipse svavem evangelii doctrinam, cui N. T. est superstructum, scripto comprehendere potuit: eo maxime, quoniam cum morte Christi vis V. T. exspiratura, ejusdemque oeconomia post non ita multos annos per eversionem urbis, conflagrationem templi, & totius rei publicæ judaicæ disso-

lutionem abolenda erat. Respondemus, ubi res in toto suo ambitu spectantur, fieri non potuit, ut Christus doctrinam suam scripto inclusam ad præsentes pariter atque post futuros transmitteret. Totum tempus, quod adventum Christi antevertit, adpellatur חזון *visio*, atque huic datur מועד *tempus constitutum*, certo annorum lapsu circumscriptum ac definitum, quo decurso, *præco*, Messias adfuturus erat Habac. II. 2. 3. Adpellatur *visio*, quoniam sancti vates Messiam, spei omnis ac fidei objectum, eminus tuebantur, & pii credentes ipsum in verbo prophetico & umbris legalibus, tamquam totidem imaginibus, procul a se positum, conspicabantur. Breviter, per visionem intelligere possumus totam oeconomiam legalem, illiusque ministerium, cujus doctrina, quoniam fides in Messiam, post multa sæcula demum compariturum, tendebat, illa multis modis erat obscura, umbris ac ænigmatibus tecta & obsita. Quæ ratio est, quare tempus V. T. cum *nocte*, Novi cum *luce* comparetur Rom. XIII. 12. quæ enim sub illo obscura erant, sub hoc in clara luce sunt posita, quæ tamquam futura sub illo repræsentabantur, sub hoc tamquam præsentia sunt exhibita, quæ sub illo sub umbris delitescebant, illorum veritas ac ipsum corpus mentibus & animis nostris objicitur. Ponamus jam, Christum doctrinam suam cum adseclis suis scripto communicare voluisse, evitari certe non potuisset, quo minus defectus aliquis, tum in doctrina fidei, tum in doctrina morum admissus fuisset, atque id quidem non ratione Christi ipsius, quam quidem ratione temporis, quo scriptionem adgressus fuisset. Si etiam paullo ante, quam caperetur & morti traderetur, scriptionem instituisset, mortem tamen

men suam & mortis genus ac rationem, sepulturam porro suam, tempus mansionis in sepulcro, reditum denique ex morte, & gloriosum in cælum abitum, miraculosam postremo communicationem spiritus sancti cum apostolis, per modum prophetiæ cujusdam præsignificare debuisset, quæ tamen omnia tamquam totidem fulcra doctrinæ christianæ religionis jure optimo habentur, & sic nondum absolute dici posset, tempus visionis sub N. T. præteriviſſe. Sed videor mihi objicientem audire, si status N. T. visionem omnem prophetiam excludit, quid igitur censendum de prophetiis Christi, qui perpessiones & mortem suam, discipulorum suorum fata, urbis & templi Hierosolymitani excidium, Judæorum abjectionem, & per universum orbem dispersionem, & quæ hujus generis sunt alia, præsignificavit. In Apostolorum quoque scriptis passim vaticinia de futuris eventibus iisdemque contingentibus occurrunt: apocalypsis denique vaticiniorum est plena. Respondeo, ex iis, quæ demonstravi, plus infertur, quam per justam ratiocinationis viam sequitur: quod secundum quid, uti in scholis loqui amamus, adfirmatur, id non absolute est accipiendum. חזון pro objecto habet Christum, ejusque beneficia, quare Petrus coram Judæorum concione dicit; *omnes prophetæ inde a Samuele, & deinde, quotquot locuti sunt, hos dies* (nempe magni prophetæ) *ante adnuntiarunt* Act. III. 24. Quando igitur hic comparuit, prophetia de Christi adventu, ipsiusque actionibus & fructibus muneris mediatorii loco cedere debuit. Ex vero igitur Christus pronuntiat: *lex & prophetæ ad Joannem usque* Luc. XVI. 16. Quod lex & prophetæ ad Joannem usque prænuntiarunt, id Joannes tanquam ipso actu

præsens indicare potuit. Aliter comparatum est cum vaticiniis, quæ fata orbis & ecclesiæ respiciunt, quæ, ne alios usus memoremus, etiam hunc in finem in libris, quos divinos habemus, ante eventum suum sunt descripta, quo ex illis summum regimen, quod Christus, qua rex ad dextram patris sui evectus, in universum administrat; conspiciatur, atque inde intelligatur, qua ratione, quæ in illo eveniunt, in emolumentum ecclesiæ suæ convertere ac dirigere possit.

§. XIX.

Unde simul adparet, doctrinam morum non ita perfecte doceri potuisse. Ubi officia inculcantur, motiva adsint oportet, quæ nos incitent ac incendant, quo, quod rectum, justum & sanctum est, faciamus. Præcipuum autem motivum, quo ad virtutem christianam, actionem vere spiritualem, inflammamur, a beneficio liberationis, per Christum præstitæ, est petendum, sed vero illud non consummatum fuit antequam ubi Christus morte sua mortem vicit, de hostibus suis per resurrectionem triumphavit, & solium patris sui conscendens justum laboris sui præmium reportavit. Sed id omne demum futurum erat, futura vero non omnes æque valide movent, atque præsentia. Addimus, si Christus integram doctrinæ suæ compagem scripto comprehensam suis tradere voluisset, necessum omnino fuisset, rejectionem Judæorum & vocationem gentium docere, huic quippe *adhæsio gentium futura erat* Gen. XLIX. 10. Quam doctrinam licet Symbolice in Sermonibus suis proposuisset, si dilucide declaravisset, magna cum Judæorum offensione conjunctum fuisset, & doctrinæ

trinæ ipsius inter illos incremento obicem posuisset. Tanta erat horum superbia, ut se solos Deum inter prærogativas suas habere autumarent, reliquas gentes orbis tamquam rejectas & spretas a Deo reputarent. Se solos Dei foederatos respiciebant, nec fieri posse opinabantur, ut ad communionem foederis hujus gentes admitterentur, & si quis in Judæorum consociatione locus his daretur, non tamen æquales partes beneficiorum ipsis secum concessum iri, temere sibi persuadebant, suas prærogativas potiores & excellentiores futuras censebant. Sanctitatis propriæ opinione turgidi reliquos orbis populos tanquam impuros canes detestabantur. Quod præjudicium cum adeo altas in ipsorum animis radices egisset, nec illud, qui in disciplinatu Christi per satis longum tempus hæserant, prorsus ejecissent, per singulare aliquod miraculum de eo erudiendi erant, atque ipso opere monstrandum, discrimen inter Judæos ac gentes Deum sublatum prorsus velle, atque has in eorundem beneficiorum possessionem cum illis immittendas esse. Contigit hoc Petro, qui cum illicitum haberet cum gentilibus consuescere Act. X. 28. visione cælesti edocendus erat, ex omnibus gentibus, qui Deum sincero animo revereantur, acceptos ipsi esse v. 34. 35. quod ipsum cum nutu cæli confirmaretur, dum & his spiritus dona extraordinaria impertirentur v. 44. omnis scrupulus eidem eximebatur.

§. XX.

Dicere etiam aliquis posset, Christum forte eade caussa a scribenda doctrina sua abstinuisse, ne scriptum Christi majoris, quam reliquorum viro-

rum sanctorum haberetur, quo aurigari videtur FRANC. TURRETTINUS institut. theol. elencht. T. I. p. m. 63. Sed quoniam omnes libri divini ad Christum auctorem mediate referuntur, quod Sect. III. §. 25. probabimus, ab hoc argumento illiusque discussione consulto abstinemus Postremo maluit Christus testimonium de persona sua, de operibus abs se patratis, de beneficiis a se in salutem generis humani impetratis, de regno suo in omnem æternitatem duraturo ab aliis accipere, quam ut ipse de iisdem testaretur. Ita apud Joannem fatetur: *si ego testor de me ipso, testimonium meum non est verum* c. V. 31. Non dicit, de se ipso testari non posse, ac testimonium, quod de se edat, in se verum non esse, sed tale non haberi ab incredulis Judæis. Hoc ita esse, liquet ex illis apud eundem c. VIII. 14. *si ego testor de me ipso, testimonium meum est verum.* Igitur ut incredulos Judæos de divina sua missione & missionis fine convinceret, provocat ad testimonium patris, loquentis per prophetas, eaque de caussa ablegat ipsos ad scripturæ scrutinium, idemque illud commendat c. V. v. 39 cujus divinitatem & auctoritatem agnoscant speciatim Mosis v. 46. 47. Si Christus ad pleniorem convictionem missionis suæ alieno potius testimonio uti voluit, quidni dicere possumus, ipsum per summam suam sapientiam per alios, eosdemque ἀξιοπίστους doctrinam suam consignari voluisse, quo sic illorum testimonium plena ipsis fides fieret, ipsum ea omnia peregisse, quæ secundum vatum oracula peragere debuit. Quem finem ut adsequeretur, tales testes elegit, qui veritatem testari & potuerunt & voluerunt, quibus proinde fides æque haberi potuit atque Mosi & prophetis, quorum do-

ctrina

ctrina miraculis fuit confirmata, quique eandem suo sanguine obsignarunt. ORIGENES *contra Celsum* L. I. comparat Mosen & Christum, quorum ille de se scripserit, hic autem nihil, sed res suas per discipulos suos perscribendas curarit.

§. XXI.

Licet autem Christus doctrinam suam litteris non commiserit, doctrina tamen ejus ab ipso commode spargi ac disseminari potuit. Numerus illorum, qui, quamdiu in vivis erat Christus, se ipsi adjungebant, non æque erat ingens, atque illi omnes ex Judæis erant. Equidem miraculorum vi multi se flecti sunt passi, ingens turba ad ipsum convolavit, conciones ipsius audiverunt, ipsius miracula illorum animos ita adficiebant, ut veritati victas dare manus viderentur. Sed enim adfectus illorum erat inconstans, maximam partem leves ac mobiles a nutu summorum sacerdotum ac rei publicæ procerum fere pendentes, quorum odia ac iras quoniam metuebant, vel simulabant, vel partes Christi relinquebant. Adparuit hoc, cum paullo ante passionem suam urbem ingrederetur: promiscua Hierosolymitanorum colluvies non solum obviam ipsi processit, verum etiam multa cum lætitiæ demonstratione ipsum triumphantem quasi ad templum usque sunt comitati Matth. XXI. 8. seqq. sed eadem illa, rebus versis, cum ipsum in hostium manibus viderent, aque proceribus suis prædamnatum intelligerent, ubi optio a Pilato ipsis daretur, utrum Jesum, sceleris purum ac insignem benefactorem, an Barabbam infamem latronem ac seditionum flabellum in vivis servatum cuperent? horribile il-

lud carmen: *cruci adfigatur* Matth. XXVII. 21. 22. uno ore, nec semel, sed iterata vice intonuerunt. Ex his igitur inferre possumus, illorum, qui sincera fide ipsum amplectebantur, numerum exiguum fuisse, qui proinde in iis, quibus salutis cardo vertebatur, ab ipso oretenus erudiri potuerunt. Si quod dubium ipsis suboriretur, poterant magistrum adire, qui nodos mira facilitate solvebat: maxime vero solicitus fuit, ne quis scrupulus in animis illorum, quos ad futurum ministerium suum præparabat, resideret. Ad hæc doctrinas easdem non semel repetiit, quo sic in illorum animos leniter influerent, firmissimeque retinerentur. Unde hanc dictorum summam conficimus: si discipuli Christi exiguo constiterunt numero, ipse easdem veritates haut raro repetiit, doctrina ipsius fuit simplex, plana & aperta, dubia interrogantibus soluit, necesse non fuit, ut eandem scripto complecteretur, eandemque scriptam ipsis in manus daret: maxime cum in eadem per legatos suos post suum in cælos reditum confirmandi essent, qui ipsi etiam illam victuris in omne ævum chartis commissuri essent. Ne quid dicamus, ipsos illos scripta Mosis & prophetarum suis versavisse manibus. Potuerunt igitur actiones Christi confligere cum illis, quæ Moses & prophetæ de Messia prædixerunt, quo ita de persona Jesu judicium ferrent: potuerunt doctrinam Christi cum doctrina Mosis & prophetarum contendere; quam utramque ubi amice consentire deprehendebant, dubitare nulli poterant, quin magnus ille propheta, verus Messias, patribus promissus, esset. Atque ex his fuerunt forte, qui concione Petri prima, Hierosolymis habita, ita sunt moti, ut Christi doctrinam lubentes admiserint.

rint. Qui metu procerum ante dubii & ancipites animo fuerunt, ubi ea, quæ circa mortem Christi contigerant, secum volverunt, ubi Petrum tanta παρρησια loquentem audiverunt, ipsum secundum vatum oracula mortuis excitatum, inque cælos subvectum, ad patris sui dextram consedisse, atque inde potestate mittendi spiritus accepta, se ac socios suos donis extraordinariis exornavisse, ita fuerunt adfecti, ut, errore agnito, ac ingenti tristitia peccatorum ergo tacti, doctrinæ Christi accesserint, seque in peccatorum remissionem aquis sacris conspergendos curaverint Act. II. 14-41. quod pariter factum legimus Act. IV. 4.

§. XXII.


Neque doctrina Christi ilico, ubi apostoli in orbem ad Evangelium adnuntiandum sunt egressi, atque coetus ex gentilibus sunt formati, scripto consignata est vulgata. Ad Judæos ubi accedebant, qui non cæco in christianam religionem ducebantur odio, nec perversis præjudiciis præpediebantur, illi doctrinam propositam ad normam oraculorum divinorum, sibi creditorum exigebant, quam ubi his conformem intellexerunt, adsensum eidem non inviti præbuerunt Act. XVII. 11. 12. Idem apud gentiles obtinuisse, pro certo adfirmare non possumus, licet non omnino negare liceat, illorum plures interpretationem græcam suis versavisse manibus, maxime qui per proselytismum ecclesiæ judaicæ sese adsociaverant, φοβυμενοι τ Θεον passim dictitati. Enimvero qui & hoc externo adminiculo destituti fuerunt, illis, modo veritati non præfracto animo refragarentur, gra-

gratia divina non est negata. In illis Deus animum occulta sua operatione excitavit, ut ad verbum propositum serio attenderent, per spiritum suum illuminavit, fidem vivam ipsis ingeneravit, voluntatem ipsorum inclinavit, ut se huic verbo humili cum obsequio subjicerent, & quæ ab ipsis postulabantur officia, promta quadam cum alacritate darent effectui, sicque sese ipso opere θεοδίδακτοι præstiterunt. Hoc addimus, cum plurimis horum, ubi sacro lavacro abluebantur, dona Spiritus Sancti communicata fuerunt. Hujus doctrinæ scriptionis necessitatem in seqq. adstruemus, id tantum hic notabimus, inter evectionem Christi ad dextram patris, communicationem spiritus sancti cum Apostolis, ac initium prædicari per hos Evangelii & scriptionem doctrinæ christianæ aliquot annos intercessisse. Quod ut ad oculum pateat, juvabit breviter & tempus & ordinem, quo libri sacri N. T. se invicem exceperunt, cel. MILLIUM ducem secuti (*) indicasse. Primi omnium librorum N. T. sunt utraque epistola Paulli ad Thessalonicenses, scripta a. LII. (†) prior & posterior ad Corinthios a. LVII. ad Romanos & Galatas a. LVIII. Jacobi a. LX. prior Petri, itemque Evangelium Matthæi a. LXI. ad Philippenses, Ephesios, Colossenses & Phi-


(*) Proleg. præmiss. præstantissimæ edit. N. T. ab ipso paratæ p. 1—19. quem sequitur Wyttenbachius tentam. theol. dogmat. T. I. p. 140. 141. edit. Bernens.

(†) B. ALPHENUS in illa est sententia, epistolam priorem a. L. tempore verno, vel æstivo, posteriorem a. LI. incoato exaratam fuisse, specim. analyt. T. I. c. IV. p. 83. seqq. ad Galatas a. LI. I. ad Corinth. a. LIV. II. intra a. LIV. & LV. ad Ephesios a. LXIII.

Philemonem. a. LXII epiſtola ad Ebræos & Evangelium Marci a. LXIII. Lucæ Evangelium, actus Apoſtolorum & Epiſtola ad Titum a. LXIV. prior ad Timotheum & poſterior Petri a. LXVII. Epiſtola Judæ circa a. XC. tres Epiſtolæ Joannis circa a. XCI. & XCII. Apocalypſis a. XCVI. Evangelium denique a. XCVII. Ex his jam conficimus; cum inde a morte Chriſti usque ad tempus primi libri novi foederis ſcripti anni fere viginti interceſſerint, nihilo tamen minus doctrina Chriſti opera Apoſtolorum longe lateque fuerit ſparſa & lætius floruerit, ac per totum illud tempus absque ullo detrimento doctrina Chriſti litteris conſignata carere potuerit: neceſſitas adparet nulla, cur Chriſtus eandem ſcripto complecti debuerit, cum miniſterium ſuum ne quidem per integros quatuor annos, & quidem inter ſolos Judæos adminiſtrarit, ipſe doctrinas easdem ſæpius repetierit, neque illarum ulteriorem explanationem ac dubiorum ſolutionem petentibus denegarit.



SECTIO



SECTIO III.

DE EO

AN, QUOD CHRISTUS NON ALIQUID SCRIPSERIT, REI CHRISTIANÆ SIT DETRIMENTO?



CONSPECTUS.

Omissio scriptionis Christi religioni christianæ detrimento non est, quia, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, in discipulorum ipsius scriptis habentur. §. 23. Quod specialius adstruitur 24. Verum, quam proposuerunt doctrinam, non fuit ipsorum propria, sed Christi 25. 26. Et quidem quam doctrinam a Christo acceperant, eandem post, adjuti Spiritus Sancti auxilio, cum aliis sive ore, sive scripto communicarunt. 27. Propterea hæc doctrina, quam post scripto complexi sunt, jure merito doctrina Christi haberi potest. 28. In eo autem Christus Majestatem suam divinam demonstravit, ubi

ubi quidem non aliquid scripsit, nihilo tamen minus in ipsorum mentibus illas veritates excitavit, in quas sibi relicti, propriis viribus nunquam incidissent. 29. Tuto igitur omnibus illis, quæ hi de Christo scripserunt, credere possumus, quod testimonio AUGUSTINI probatur. 30. Hinc concidit objectio, discipulos doctrinam Christi aliter proposuisse ac ipse voluerit, quam per effectus plane mirandos, quos in hominum animis edit, ac miraculis, quibus confirmata est, suam agnovit.

§. XXIII.

Detrimento id alicui esse dicitur, quod impedit, quo minus fine, quem intendit, potiatur. Quodsi igitur scriptionis Christi omissio detrimento est religioni christianæ, illa rationem continere debet, quo minus finis obtineri queat, in quem religio christiana collineat. Finis religionis christianæ hic est, ut homo gravitate peccati, & inde resultantis miseriæ pressus, propriis viribus diffisus, ad Christum consummatum vindicem ac redentorem se recipiat, eo animo ac consilio, ut caussa justitiæ ipsius a peccatis illorumque tristibus effectis liberetur, per ipsius spiritum renovetur, ac ad virtutis pietatis ac sanctitatis studium aptetur, quo ita gloria Dei in Christo promoveatur, propriaque ipsius salus procuretur. Ad id autem requiritur, ut sciamus, quis qualisque sit Christus, & quid a nobis postuletur, ut in illo salutem invenire queamus. Oportet scire, ipsum a patre suo destinatum esse, qui salutem amissam nobis repararet, qui & agendo & patiendo illa omnia præstiterit, quæ ad pecca-

cato-

catorum nostrorum deletionem spectant, quique spiritum habeat, cujus beneficio vita nova nobis donetur, beneficiaque a Christo parta nobis adplicentur, in vita sancta conservemur, & aeternum beemur. A parte nostra requiritur, ut peccata nostra agnoscamus, propriam sapientiam, proprias vires abnegemus, salutem in Christo oblatam fide sancta cupide amplectamur, nosque pro tanta gratia per omnem vitam gratos, omnes actiones nostras morales ad sanctissimam ipsius legem componamus; quo ita nos gratia sua perpetuo prosequi, nobisque vitam ex omni parte beatam indulgere queat. Quodsi igitur omissio scriptionis Christi detrimento est religioni christianae, quam tamen ipsius vice ac loco susceperunt ipsius internuntii, viri divini, ab ipso speciatim electi; consequitur, in ipsorum scriptis ea, quae dignitatem ac praestantiam Christi respiciunt, vel plane non vel dubie aut obscure exposita, vel officia nostra non satis dilucide explanata esse. Sed contrarium ex horum scriptis sole meridiano clarius demonstrari potest.

§. XXIV.

Tantum certe abest, ut istiusmodi in Apostolorum scriptis naevi offendi possint, ut potius ea omnia, quae ad miseri peccatoris salutem faciunt, plane & ubertim explanarint. Ratio salutis hominis peccatoris in Christo unice est sita, hunc ut cum omnibus suis officiis ac beneficiis proponerent, & ut illi homines vera fide adjungerent, omnis ipsorum opera occupatur. Hunc tamquam lapidem angularem, aedificio spirituali, ecclesiae, suppositum, illam, quae sub prisca oeconomia

erat,

erat, & illam, quæ sub novo fœdere convocanda erat, compingentem, Judæos & gentes in unam summam colligentem, commendat Petrus, caussatus, *in non alio esse salutem, nec aliud nomen esse datum sub cælo homini, in quo servari oporteat* Act. IV. 11. 12. Paullus diserte adfirmat, *fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, qui est Jesus Christus* 1 Cor. III. 11. Qui licet multa doctrina & sapientia polleret, in omnibus tamen scriptis suis & sermonibus id egit, ut inculcaret Jesum, eundemque cruci adfixum c. II. 2. Neque pugnat, quod etiam doctrina, apostolorum fundamentum dicatur Ephes. II. 20. Christus, quod Theologi recte dicunt, est fundamentum *reale*, salutem enim unice paravit, & huic quivis, salutem suam serio anhelans, inædificari debet: doctrina Apostolorum est fundamentum *dogmaticum*, quatenus ea omnia complectitur, quæ de Christo scitu & factu sunt necessaria. Adhæc doctrina horum fundamenti vicem sustinet, quoniam ipsi cum Christo lapide fundamentali quam arctissime sunt conjuncti, propterea additur ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, hujus autem conjunctionis vi ipsis doctrina est impertita, quam postea & ore & scriptis proposuerunt, propagaruntque. Ipsum illum exhibent nobis tanquam ἔγγυον, Ebr. VII. 22. tanquam μεσίτην inter Deum & hominem 1 Tim. II. 5. qui inimicitiam, quæ nos a Deo sejungebat, sustulit Rom. VIII. 7. Ephes. II. 14–16. nosque, peccatis nostris expunctis, Deo reconciliavit Col. I. 20. 21. qui morte sua illum abolevit, qui mortis habebat potestatem, diabolum Ebr. II. 14. qui traditus est in mortem propter peccata nostra, & excitatus propter justitiam

nostram Rom. IV. 25. qui vitam & incorruptibilitatem in lucem reduxit 2 Tim. I. 10. Sed vero hujus ab ipso partæ felicitatis compotes evadere non possumus, nisi ad imaginem ipsius conformemur Rom. VIII. 29. ipse factus est nobis non solum *justitia*, per quam a peccati poenis vindicamur, nobisque jus ad vitam æternam addicitur, verum etiam *sanctificatio*, ut justis atque rectis actionibus studeamus 1 Cor. I. 30. Breviter: propter Christum, ejusdemque redemtionem ad omnia illa officia obstringimur, quæ lex moralis a nobis flagitat, nempe ut *temperanter*, *juste & pie in hoc mundo vivamus* Tit. II. 12. non quidem ut his ipsis vitam æternam promereamur, sed ut illis ostendamus, nos redemtionis Christi participes esse factos, nos illis ipsis gratitudinem nostram testemur, spem atque salutem nostram firmemus, aliisque exemplum, quod sequantur, præmonstremus.

§. XXV.

Verum enim vero quam protulerunt doctrinam, non fuit ipsorum propria, quam studio, meditatione, industria sint consecuti, sed fuit doctrina optimi magistri, Jesu Christi. Illi, si Paullum & forte Lucam excipias, fuerunt quidem homines probi, non quidem naturalibus animi dotibus destituti, nec tamen scientiis culti, homines simplices, rei piscatoriæ ante suam vocationem fere addicti. Ex facie judaismi, qualis per illam tempestatem erat, conjecturam capere possumus, quæ ipsorum scientia religionis fuerit. Præcipuos & maxime necessarios religionis articulos proscripserant, Messiam non amplius exspectabant, ut illum, qui peccata sua expiaturus

rus esset, cujusque justitia jus ad vitam æternam essent consecuturi, propria justitia ex externa religionis exercitiis redundante nitentes. Doctrina moralis vel prætermittebatur, vel adulterabatur. Hoc ita se habere, ex verbis Christi, quibus legis peritos reprehendit, quod clavem scientiæ sustulerint Luc. XI. 52. patescit. Ex quibus evidens est, ipsorum institutionem, quod necessarias religionis veritates attinet, exiguam admodum fuisse: accedit, quod parentibus in re piscatoria mature socias manus præbuerint. Adulti quidem in Jesu societatem sunt cooptati, inque ipsius disciplina per integrum triennium, & quod excedit, sunt commorati, sermones ipsius, quibus vel religionis decreta, vel morum præcepta explanabat, suis auribus hauserunt, haut raro etiam ea, quæ populo ænigmatibus involuta inculcaverat, ipsis a turba populi semotis absque involucris verbis planis atque apertis declararet. Sed enim præjudicia, quibus ex vitio gentis & educationis constricti tenebantur, impedimento fuerunt, quo minus verum sensum verborum & doctrinæ magistri sui adsequerentur. Quare cum post doctrinam adeo eximiam atque sapientiam humana majorem prodiderint, illam aliunde acceptam in aliorum notitiam expromsisse, doctrinam doctoris sui retulisse, dubio vix caret. Generatim pronuntiat Joannes, *quod vidimus & audivimus, adnuntiamus vobis* I. ep. I. 3. Sed quæ audiverat, audiverat ipse cum sociis suis, ex Christo. Paullus & suo, & collegarum nomine fatetur, Deum in Christo verbum reconciliationis in ipsis posuisse, eaque de caussa legatione nomine Christi fungi 2 Cor. V. 19. 20. Subinde etiam in peculiaribus casibus ad dominum Christum provocat, a quo

doctrinam certam, v. c. de sacra coena acceperit 1 Cor. XI. 23. coll. c. XV. 3.

§. XXVI.

Et quidem doctrinam a Christo acceptam, quam prædicaverunt, post adiuti gratia & illuminatione spiritus sancti in litteras miserunt, quo perpetua fidei norma credentium esset. Hunc Christus, ad patrem suum abiturus, loco sui promittit Jo. XIV. 26 qui ipsos omnia docturus, eaque, quæ locutus ipsis erat, in memoriam esset revocaturus. Duo promittit benignissimus sospitator, (1) spiritum, quem accepturi essent, ipsos docturum esse omnia, quæ tum ad propriam ipsorum salutem, tum ad ministerium, quod brevi adgressuri essent, spectarent. (2) Ejusdem operationem circa ipsorum memoriam versaturam esse, ut quæ quondam ab ipso dicta erant, se ipsorum mentibus in omni ordine de novo repræsentarent. Sed in utroque ita sese gerere debebant, ut veritatem ab omni errore alienam proponerent: si quis enim error ipsorum doctrinæ irrepserit, pro indubia fidei ac vitæ regula haberi minus potuisset. Quod ut fieret, spiritus ille, qui est spiritus veritatis, omnis veritatis fons & origo, ipsos in potestate sua ita habere debuit, ut veritatem, quod ad doctrinam salutis, ipsis suggereret, memoriam eorundem in iis, quæ voce viva a magistro acceperant, confirmaret, voluntatem ipsorum ita flecteret ac determinaret, ut veritatem absque ulla erroris mixtura proloquerentur ac inde victuris in omne ævum chartis committerent Jo. XVI. 13. Christus etiam post devictam mortem vitæ restitutus, per 40. dies

cum

cum discipulis commoratus, disseruit de iis, quæ ad regnum cælorum, œconomiam N. T. spectabant Act. I. 3. Illo autem in cælos sublato, ipso pentecostes die extraordinariis spiritus sancti donis fuerunt exornati, ut ore diserto virtutes & molitiones Dei celebrare ac novis sibique ante ignotis linguis loqui inciperent Act. II. 4. seqq. adeo ut Judæi, Hierosolymis præsentes, qui non ignorabant, ipsos a doctrina, sapientia & linguarum peritia desertos esse, in stuporem darentur. Quæ ratio est, quare totum ministerium Apostolorum & omnis efficacia, quam per verbum suum in hominum animis produxerunt, ad spiritum sanctum tanquam primum suum auctorem referatur Act. XIII. 2. 1 Cor. II. 4. III. 3. Ephes. I. 13. 1 Thess. I. 5. Quem ad modum igitur, quoties præcepta sanctissimæ nostræ religionis coram sacra concione exposuerunt, spiritus sanctus ipsis adfuit, eisdem os ac sapientiam commodavit: ita hujus ductum vel maxime sunt experti, quoties ad scribendum se accinxerunt; quare Paullus pronuntiat, *omnis scriptura divinitus est inspirata* 2 Tim. III 16. Omnis enim lux, scientia ac sapientia, quæ in ecclesia conspicitur, spiritui sancto tanquam auctori in acceptis est referenda. Si nulla umquam prophetia voluntate humana est adlata, sed a Spiritu Sancto acti sancti homines sunt locuti 2 Petr. I. 21. id generatim de omni revelatione extraordinaria ac immediata jure omni dici potest.

§. XXVII.

Quodsi igitur verbum, quod Christi discipuli ore auditoribus suis declararunt, quodque post in

litteras retulerunt, non fuit ipsorum proprium, sed Christi atque Spiritus Sancti, recte adfirmari potest, illud omne a Christo, tamquam primo auctore suo profectum esse. Inter Christum & Spiritum Sanctum tum ratione naturæ, tum ratione œconomiæ relatio quædam intercedit, quæ facit, ut, quemadmodum per Christum exsistit, ita etiam hic per ipsum operetur, dicitur propterea Spiritus Christi Gal. IV. 6. Ephes. III. 16. Quæcumque igitur Spiritus Sanctus apostolis impertivit, illa Christi fuerunt, quod ex illis Christi, *ex meo sumet & adnuntiabit vobis* Jo. XVI. 14. 15. probari potest. Tota salutis nostræ ratio nititur satisfactione Christi, qua præstita, in ipsius potestate fuit positum, qua via atque modo illam hominibus adplicare, ipsosque beneficii hujus præstantissimi participes reddere vellet, illam autem per spiritum suum viris sanctis declaravit. Quidquid igitur hi a Spiritu Sancto agitati scripserunt, id ipse Christus scripsisse jure optimo dici potest, quod quis enim per alium agit, ipse egisse censetur. Scriptio igitur apostolorum est scriptio ipsius Christi, non solum quoniam inspiratione ac impulsu Spiritus Sancti, qui est Spiritus Christi, verum etiam ipsius auctoritate ac jussu scripserunt. Ubi Christus jamjam in cælum subvehendus erat, hoc in mandatis dedit legatis suis, ut in universum orbem exirent ac Evangelium omnibus gentibus absque discrimine prædicarent, Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Christi intentio fuit, ut non præsentes tantum docerent, sed etiam longe post futuros, etiam ad extrema usque mundi tempora exstituros. Quodsi hæc doctrina ore tantum propagata fuisset, inter tot gentes ac nationes, ab invicem longe dissitas, legi-

legibus, moribus ac institutis discrepantes multum, depravatio ac corruptio eidem facile supervenire potuisset: quod cum primis verendum fuisset, ubi viventium numero illi exemti fuissent, qui primum hanc doctrinam publicarunt, utpote qui, si quae falsa & commentitia fuissent intrusa, fraudem indicare, & retundere potuissent. Tale quid non ita facile metuendam erat, ubi doctrina Christi scripto comprehenderetur, atque id, quod in *αὐτογράφοις* habebatur, in multa, imo infinita fere exempla, sive *ἀπόγραφα* transfunderetur, ut hinc doctrina ita perscripta cynosura religionis certa esse potuerit omnibus illis, qui ad ultima usque tempora in Christum credituri essent. Si qua corruptio, vel mendum, sive per malitiam, sive per inscitiam atque incuriam in his vel illis locis irrepsisset, corruptio tamen universalis non fuisset, atque per collationem aliorum codicum feliciter deprehendi ac indicari potuisset. Quando autem Christus in iis, quae religionem attinent, per infinitam suam sapientiam optimum intendit finem, praestabat autem doctrinam ipsius certis libris contentam conservare ac ad ultimam posteritatem transmittere, sententia ipsius fuit, ut primo quidem gentes, quas adirent, doctrina hac imbuerent, inde vero ipsam illam scripto comprehenderent, quo & illi, qui doctrinam hanc ex ore apostolorum hauserant, in veritate agnita confirmarentur, & posteri in ejusdem cognitionem pervenirent. Ex vero igitur pronuntiat IRENAEUS, qui ab apostolorum temporibus non multum abfuit: *non per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei volun-*

voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostrae futurum, advers. haeres L. III. c. I. edit. *Grabianae* p. 198. Addere possumus, per inspirationem ad scriptionem Apostolos obligatos fuisse. Per revelationem ac cum illa proxime conjunctam inspirationem doctrina ad felicitatem tum praesentem, tum futuram homini summe necessaria ipsis impertiebatur, per legem autem naturae felicitatem nostram ita promovere debemus, ut hujus etiam, quantum per nos fieri potest, socios nostros participes reddamus: Sed vero haec doctrina per scriptionem quam commodissime cum aliis communicari potuit; igitur ad eandem in litteras mittendam fuere obstricti. Denique doctrina haec ipsis, qua doctoribus universalibus, hominibus in omne aevum profutura, manifestabatur: quoniam vero ob vitae brevitatem illis omnibus interesse non licebat, sed doctrina scripto comprehensa per omne tempus, quam longum illud etiam futurum erat, conservari poterat, ad illius scriptionem incitabantur. Argumenta haec ad adstruendum id, quod probandum sumsimus, sufficere possent, verum praeterea aliquando externum accessit mandatum. Exemplo sit Joannes, qui cum totam apocalypsin ex ore Christi dictantis excepit c. I. 1. ita illud *scribe* per totum revelationum librum passim inculcatur c. I. 11. 19. II. 8. 12. & sic porro. Quando igitur auctor facti alicujus habetur, qui alium mandando, imperando, suadendo ad actionem aliquam suscipiendam inducit, vires & facultatem ad illam suscipiendam & perficiendam subministrat, modum actionis circumscribit, & ad finem convenientem dirigit:

rigit: Christus non scribendo, totum tamen Novum Testamentum scripsisse, summo jure dici potest. In illo continetur doctrina Christi, quam ab ipso ore tenus acceperunt; quae post per Spiritum Sanctum, Spiritum Christi, repetita, confirmata, amplificata, totaque ita sapienter est aptata, ut *utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus* 2 Tim. III. 16. 17. Ne quid dicamus de Christi sermonibus publice habitis; quos ubi Spiritus ipsis in memoriam revocavit, illos si non integros, saltim quod ad praecipua momenta, quod ad essentialia, Evangeliorum scriptores repetivisse, dubio vix caret. Christus igitur per discipulos suos nos adhuc adloquitur & compellat. Nec quidquam impedit, quo minus *majora* illa *opera*, quae juxta promissionem Christi a credentibus patranda erant Jo XIV. 12. ad scriptionem doctrinae Christi referamus. Credentes non sunt generatim omnes, qui doctrinae Christi fidem habent, seque ad ipsum tamquam consummatum redemtorem recipiunt, ac virtutis pietatisque ac Sanctitatis studio se Deo & Christo commendant: sed, quod totus orationis nexus docet, speciatim Apostoli. Hi majora opera, quam Christus, non tamen absque illo, sed gratia ipsius adjuti, fecerunt, quoniam plura miracula, quam quidem ipse, ediderunt, & doctrinam ipsius per omnem fere terrarum orbem protulerunt, quam Christus, quamdiu in vivis erat, intra solos Judaeae terminos continuit. Quodsi igitur Apostoli ratione miraculorum & doctrinae publicatione majus quid, quam Christus, praestiterunt, quidni etiam dicere queamus, ipsos ratione scriptionis

 plus

plus fecisse, quoniam is doctrinam suam, scripto comprehensam, plane non reliquit. Conf. cel. WALCHII diss. de *prærogat. fidel. in operibus præ Christo*, ed. Jen. 1732.

§. XXVIII.

Et certe ubi non ipse scripsit, sed quæ in usum civitatis suæ esse optime pervidit, per viros, ad id speciatim electos, perscribenda curavit, majestati suæ consuluit, & hoc ipsum tanquam peculiaris aliquis character summæ ipsius deitatis haberi debet. Si ipse scripto consignasset dogmata & præcepta, quæ ex viribus intellectus naturalibus cognosci nequeunt, sed per revelationem extraordinariam & immediatam innotescunt, ipse quidem doctor a Deo missus & propheta agnosci potuisset: nondum tamen inde perspectum fuisset, ipsum plus quam Prophetam fuisse, quique Prophetas omnes infinitis parasangis antecesserit. Verum enim vero ubi veritates in mentibus illorum, quos ad id constituit, excitavit, quæ rationi humanæ, sibi relictæ, minime sunt perviæ, quasque vel intensissima meditatione adsequi minus potuissent, evidentissime demonstratum dedit, se esse mentium formatorem, ipsas in mutationibus suis a se pendere, seque in illis cogitationes, quæ ex illarum natura minus sequerentur, occulta operatione excitare posse. Admirationem sagacioribus merito injicit, qui fiat, ut beneficio motus aëris tremuli cogitationes mentis nostræ in aliorum mentes transferamus, indeque in eis ipsæ illæ cogitationes, quas nos volumus, exsurgant, cum tamen hic caussæ secundæ intercurrant, quarum nexum non perspicimus.

Majori

Majori autem admirationi nobis esse debet, quod, nullis caussis secundis intervenientibus, nutu Christi per immediatam operationem Spiritus ipsius in istiusmodi cogitationes ac veritates inciderint, quæ, si sibi relicti fuissent, ipsorum mentes numquam subivissent. Neque hæc efficax operatio ejusdem in illis deficit, qui verbo, ab Apostolis prædicato, credunt. Non equidem hæc ipsis doctrina immediate, sed mediate obtingit. Proponitur ipsis verbum hoc in omni svavitate ac amabilitate, quod ipsum ubi ad conscientiam demonstratur, hominum animos in adsensum facile rapit, animum movet ac flectit, ut illud lubentes admittant, talesque actiones, quæ verbo illi consentaneæ sint, edant. Recte igitur dici potest, Christum per operationem Spiritus sui verbum suum cordibus hominum inscribere, illosque esse *epistolam Christi, non scriptam atramento, sed Spiritu Dei viventis* 1 Cor. III. 2. 3.

§. XXIX.

His igitur rationibus ducti, certi esse possimus licet Christus doctrinam suam non scripto comprehensam suis reliquerit, sed per discipulos suos scribendam curaverit, nihilo tamen minus id omne, quod hi consignaverunt, ad ipsum tanquam primum auctorem referri posse ac debere, ut hinc aliorum consensu ac testimonio non egeamus. Quamvis igitur aliorum testimonia ad confirmationem doctrinæ alicujus nihil faciunt, hanc tamen ex illis utilitatem capere possumus, ut cognoscamus, illam non longe peti debere, sed in illam unumquemque, qui meditationi se dat, quique recta via in ratiocinando procedit, per se ipsum

ſum incidere. Ex antiquioribus producamus AUGUSTINUM, doctrinæ ac acuminis laude inſignem, qui ad paganorum quorundam, cauſſantium, ſe doctrinæ Chriſtianæ accedere non poſſe, quod Chriſtus nil quidquam ſcripſiſſet, diſcipuli autem ejus mentem ipſius non ſint adſecuti, ſaltim aliter retulerint, objectionem diluendam argumentum a ſimili petitum, in medium adfert: Si Pythagoras & Socrates nihil ſcripſerunt, neque tamen minus horum diſcipulis creditur in iis, quæ utriusque philoſophiæ rationem ſpectant, rationem juſtam adlegari non poſſe, quare Chriſti diſcipulis fidem negent. Mentem ſuam ita declarat: *quid igitur cauſſæ eſt, cur de iſtis hoc credant, quod de illis hoc diſcipuli eorum litteris commendarunt, & de Chriſto nolunt credere, quod ejus de illo diſcipuli conſcripſerunt? præſertim cum ab eo* (Chriſto) *ceteros homines ſapientia ſuperatos eſſe fatentur, quamvis eum Deum fateri nolint. An vero illi, quos iſto multo inferiores fuiſſe non dubitant, veraces de ſe diſcipulos facere potuerunt, & iſte non potuit? Quod ſi abſurdiſſime dicitur, credant de illo, quem ſapientem fatentur, non quod ipſi volunt, ſed quod apud eos legant, qui ea, quæ ſcripſerunt, ab illo ſapiente didicerunt, de conſenſ. Euangeliſt.* L. I. c. 7. In eundem modum, & quidem explicatius aliquanto non ita multo poſt diſſerit: *qui* (Chriſtus) *prophetas ante deſcenſionem ſuam præmiſit, ipſe & Apoſtolos poſt adſcenſionem ſuam miſit. Omnibus autem diſcipulis ſuis per hominem, quem adſumſit, tamquam membris ſui corporis caput eſt. Itaque cum illi ſcripſerunt, quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt, quod ipſe non ſcripſerit: quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt. Quid-*

Quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium & in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium, quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Euangelio legerit, quam si ipsam manum domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. c. l. c. XXXV. Alia loca, quæ huc ex parte facere queant, collegit RIVETUS *summ. controv.* quæst. II. opp. T. III. p. 24–26.

§. XXX.

Efficimus ex iis, quæ hucusque disputavimus, illorum, qui doctrinæ Christianæ adsensum præbere detrectabant, quoniam discipuli Christi eidem quædam adscripserint, quæ ipsi minus convenire judicarint v. c. deitatem, prætextum fuisse nullum. Quamdiu Christus deitatem suam sub velamine carnis infirmæ texit, illa sese in pleno lumine & jubare suo se non ostendit, quamquam tamen illius radii quidam subinde emicuerint. Sed enim ubi, deposita servi forma, cælos petiit, pater ipsum ad dextram suam collocavit, ipsum regem atque dominum ecclesiæ, quin totius rerum universitatis constituit, atque ipse luculenta summæ Majestatis suæ documenta dedit, deitatem ipsius certius longe demonstrare potuerunt. Discipuli Christi domino suo non aliquid adscripserunt, quod ipsi minus conveniret, sed id eidem summo jure tribuerunt, quo de ipsi certissimis argumentis erant persuasi atque convicti. Christum autem doctrinam suam ab Apostolis vel ore prædicatam, vel scripto traditam,

pro

pro sua agnovisse, non uno argumento evincere possumus. Inest verbo huic incredibilis quædam vis homines illuminandi, regenerandi, convertendi, quod vel maxime primis rei Christianæ temporibus fuit animadversum, ubi ad unam aliquando concionem aliquot millia Christo nomen dederunt. Vis hæc provenit a potentia Spiritus Christi, cum verbo vel lecto, vel prædicato conjuncta. Quodsi igitur Christus huic verbo vim prorsus singularem addit, per illud mirabiles prorsus in homine effectus producit; certe illud pro suo agnoscit, illoque utitur, quo fine suo potiatur. Adhæc verbum hoc miraculis, omnes naturæ vires immane quantum superantibus, est confirmatum. Miracula non nisi a Deo proficisci possunt, & illa tamquam signacula doctrinæ cælitus manifestatæ considerari debent. Num igitur credibile est, voluisse Deum doctrinam adulteratam effectibus quibusdam miraculosis comprobare, sicque mendacio testimonium præbere operibus a se immediate productis, homines inducere, ut mendacio credant. Hæc certe cum bonitate, sapientia, sanctitate ac veracitate divina consistere minime possunt. Ne quid dicamus, accuratum consensum inter doctrinam Veteris ac Novi Testamenti deprehendi, ut hinc Christi discipuli ab omni suspicione corruptæ abs se doctrinæ Magistri sui immunes sint declarandi.

EXER-



EXERCITATIO II.

DE EO,

NUM APOSTOLI DUODECIMO DEMUM A CHRISTI IN CAELOS EVECTIONE ANNO HIEROSOLYMIS SINT EGRESSI?



CONSPECTUS.

Sistit totius commentationis divisionem. §. 1. 2. Traditio ex Eusebio profertur, illam autem jamdum retulit Clemens Alexandrinus, tanquam profectam a Petro. Locus Clementis aliter interpungitur. 3. De ipsa illa obscure loquitur Baronius, ad cujus verba quædam notantur. Ab eadem non multum alieni sunt Caveus & Vitringa, aliter sentiunt Ittigius & Walchius. 4. Ut via ad quæstionis præsentis dilucidationem muniatur, generalia quædam circa traditiones præmonentur, & ad præ-

præsens negotium adcommodantur. 5. Demonstratur (α) traditionem hanc non convenire, illis, quæ scriptores sacri habent, neque illius mentionem facere antiquissimos Scriptores Ecclesiasticos, cum tamen illius memorandæ occasio suppeteret. 6. Non convenire (β) sapientiæ divinæ, ut per tam longum temporis spatium Hierosolymis hærerent. 7. (γ) Si traditio absolute accipitur, cum historia Apostolica conciliari nequit, nec (δ) relate ad prædicationem Apostolorum inter gentes. 8. Tandem 9. rationes pervestigantur, quæ traditioni huic occasionem præbuisse, videri queant.

§. I.

Acturis nobis de exitu Apostolorum in terrarum orbem ad doctrinam salutiferam adnuntiandam & proferendam, quod secundum mandatum Christi expressum duodecimo demum ab ipsius αναληψει anno factum fuisse, dicitur, hoc negotii datum esse intelligimus, ut (1.) traditionem illam in medium producamus, (2.) dispiciamus, quid de ipsa illa sit censendum, num Christi internuntii per tantum temporis spatium Hierosolymis hæserint?

§. II.

Traditionem (1) quod attinet, illam historiæ & antiquitatum Ecclesiasticarum promus condus diligentissimus EUSEBIUS H. E. L. V. c. XVIII. p. m. 186. nobis adservavit. Verba ipsius hæc sunt: Ἐτι, ὡς ἐκ παραδοσεως τ̓ σωτηρα Φησι προστεταχεναι, τοις ἀυτȣ Ἀποςολοις, ἐπι δωδεκα ἐτεσι μη χωρισθηναι της Ἱερȣσαλημ; *adhæc*

tam-

tamquam ex traditione dicit: salvatorem praecepisse apostolis suis, ne intra duodecim annos Hierosolymis discederent. Ipsam illam exhibet NICEPHORUS H. E. L. IV. c. 24. p. 324. ἐχειν δὲ ἐκ παραδόσεως, ὡς ἄρα τοις ἀποστολοις Χριστὸς ἐπι δωδεκα ἐτη μη χωριζεσθαι της Ιερουσαλημ ἐντειλασθαι. Refert haec Caesareensis antistes, itemque NICEPHORUS ex APOLLONII libro, quem adversus Montanum ejusdemque adleclas condidit, quo hujus doctrinas, instituta, &, quae jactitabant, revelationes, examinavit. Hic Apollonius, quis qualisque fuerit, neuter horum indicat, contenti, ipsum generatim adpellando ἐκκλησιαστικον συγγραφεα *ecclesiasticum scriptorem* nec illius scripta ad nos sunt transmissa, ex quibus fragmentum aliquod nobis servavit EUSEBIUS, quem secutus videtur NICEPHORUS. HIERONYMUS catal. script. eccles. p. 55, 56. edit. Cypriani, ipsum elogio *viri disertissimi* ornat, librum ejusdem adversus Montanum, Priscillam & Maximillam adpellat *insigne & longum volumen*, ac sub COMMODO SEVEROQUE principibus floruisse, observat. CAVEUS circa a. 192. clarum extitisse notat, *scriptor. eccles. hist. litter.* p. 38. 39. conf. cel. WALCHIUS hist. eccles. N. T. p. 606. it. 655. 656. DUPIN *nova biblioth. des auteurs ecclesiast.* T. I. p. 88. Neque tamen existimandum est, ab hoc demum APOLLONIO traditionem hanc litteris perscriptam, sed ante ipsum a longo jamdum tempore fuisse circumlatam. CLEMENS ALEXANDRINUS illam refert ad Petrum Apostolum quam ex ore ipsius Christi hauserit. Verba ipsius ita sunt concepta: δια τουτο φησιν ὁ Πετρος ἐαν μεν οὐν τις θελησῃ του Ισραηλ μετανοησαι, δια του ὀνοματος μου πιστευειν ἐπι τον θεον, ἀφεθησονται αὐτῳ αἱ ἁμαρτιαι

μετα δωδεκα ἐτη ἐξελθετε ἐις τον κόσμον, μη τις ἐιπῃ, ἐκ ἠκεσαμεν, *Strom.* L. VI. p. 636. 637. Verba hæc minus recte interpuncta esse, atque ea conjungi, quæ tamen disjungenda sunt, quisque; me non monente, animadvertet. Quid enim, num qui credit in Christum, demum post duodecim annorum lapsum veniam peccatorum suorum consequitur? Nonne qui peccatorum suorum mole pressus, ad Christum, unicum mundi sospitatorem sancta fide confugit, ac præceptis ipsius morigerum se præstat, certam spem concipere potest, fore, ut propter nomen ipsius, meritum ac justitiam ipsius, peccata sibi sua; ipsorum culpa & poena remittantur. Opponuntur sibi ὁ Ἰσραηλ, Judæi, tanquam cives & domestici ecclesiæ, & ὁ κοσμος, gentes, a consortio dei foederati adhuc alienæ, atque oeconomia gratiæ divinæ erga utrosque indicatur. Hanc illis indicavit Christus ipse, quo in cælos subvecto, fidi ejusdem internuntii his aliquo tempore post adnuntiarunt, quod duodecim annorum intervallo circumscribitur, quibus ab ἀναλειψει ejus revolutis, in orbem ad gratiam ab ipso partam adnuntiandam ac gentibus offerendam egredi deberent. Vidit hoc jamdum CAVEUS c. I. p. 3. atque verba in hunc redigit ordinem: ἐαν μεν ὖν τις θελησῃ τυ Ισραηλ μετανοησαι, δια τυ ὀνοματος μυ πιςευειν, ἐις τον θεον ἀφεθησονται ἀυτῳ ἁμαρτιαι. Μετα δωδεκα ἐτη ἐξελθετε ἐις τον κοσμον, μη τις ἐιπῃ, ὐκ ἠκυσαμεν. *Si quis ergo velit ex Israël duci poenitentia, & propter nomen meum credere, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat, non audivimus.* Ita etiam verba legunt GRABIUS spicil. patr. T. I. p. 67. 68. qui ipsum hunc locum adducit, & ex ipso FABRICIUS, qui præ-

præterea PEARSONIUM nominat, *cod. apocr.* N. T. T. I. p. 331. 332. Ex dictis igitur intelligimus auctorem verborum citari Christum, qui hæc omnibus apostolis suis dixerit, Petrum autem ipsa illa ore tenus propagasse.

§. III.

Huic traditioni haut obscure calculum addit BARONIUS, qui ubi narravisset, Stephano lapidibus obruto, gravem tempestatem, capitibus discipulorum Jesu impendisse, qui omnes, Hierosolymis relictis, per Judæam ac Samariam sparsi fuerint Act. VIII. 1. solis apostolis in urbe remanentibus, qui tamen etiam, cum Jacobus Herodis Agrippæ nutu, quo Judæis gratificaretur, capite truncatus esset, pariterque Petrus ad necem quæreretur, miraculosa tamen ratione ereptus Act. XII. 1. urbe egredientes alio concesserunt, subdit: *cum enim, quo loco in Judæa consisterent, persequente illos Agrippa, non haberent, a Judæis sic pulsi ad exteras gentes, ut divina fuerat revelatione Petro demonstratum, sunt profecti, annal.* T. I. p. 348. Dixi meditate, ipsum haut obscure subscribere huic traditioni, refert enim illam ad *divinam revelationem*, incertum igitur relinquit, num hæc ipsis obtigerit per internam inspirationem, an per somnium, an per expressum mandatum. Sed vero traditio ista quod §. II. testimoniis adductis ostendimus, ab ipso Christo profecta fuisse dicitur, qui hoc apostolis injunxisse fertur, ne intra 12. annos Hierosolymis discederent. Ad hæc Petro divina revelatione hoc indicatum fuisse adseverat: traditio vero habet, mandatum hoc delatum fuisse generatim ad apostolos absque discrimine. Verum

hoc proprium est pontificiæ ecclesiæ doctoribus, ut Petrum tamquam caput ecclesiæ universæ & reliquorum apostolorum principem inde a primis illius temporibus nobis representent: speciatim BARONIUS in eo totus est, ut suprematum pontificis romani ab ultima inde antiquitate adsereret. Nec ab hac omnino alienus est doctissimus CAVEUS, qui hunc in modum loquitur: *post Christi in cælos adscensionem non videntur apostoli per duodecim annos Hierosolymorum finibus excessisse*, p. 3. quibus verbis traditionem memoratam subjicit. Majori probabilitatis gradu eandem gaudere, his verbis declarat cel. VITRINGA, *minus adhuc* (sperno), *animadversione dignissimam traditionem Apollonii, secundi sæculi scriptoris, apud eundem Eusebium, & analogam Clementis Alexandrini, ex prædicatione Petri petitam, quæ fert, apostolos ex mandato domini, per* XII. *annos subsistere debuisse Hierosolymis, antequam se alio conferrent*, *hypotyp. histor. sacr.* p. 266. 267. ITTIGIUS hujus ipsius mentionem injiciens, observat HENSCHENIUM ita explicare traditionem, ut sub Hierosolymæ nomine Syriam etiam & vicinas regiones complectatur, verum huic opinioni PAPEBROCHIUM contradicere, qui duos tantum annos Apollonium & Eusebium dicere contendat. Subdit, hanc PAPEBROCHII conjecturam ne ipsis quidem religionis suæ sociis adrisisse, saltim *Schelstratenum antiquit. eccles.* T. I. *chronol.* p. 85. calculum suum illi denegasse ac HENSCHENII conjecturam prætulisse. Sed de utraque conjectura ita judicat: *verum opus non est, ut ea de re multum disceptemus, cum nullo certo argumento probari possit, quod Christus apostolos ante suam in orbem universum emigrationem per duodecim annos in urbe Hierosolymitana hærere jusserit*, *hist. eccles.* I. sæc.

p.

p. 437. 438. Conf. vener. WALCHIUS hiſt. eccleſ. N. T. p. 360. 361.

§. IV.

Cognita jam traditione, proximum eſt hoc, ut, quid de illa judicandum ſit, diſpiciamus. Verſatur non circa dogma aliquod chriſtianæ religionis, quæ in ſacris litteris ita ſunt declarata & explanata, ut traditione orali, mutationi admodum obnoxia, non indigeamus, quæ ſi quidem primi eccleſiæ doctores, quos *patres* adpellare ſolemus, tradiderunt, non propter illorum auctoritatem credimus, ſed quoniam ſacræ ſcripturæ convenienter ſunt locuti. Spectat potius tempus adminiſtratæ gratiæ divinæ per prædicationem euangelii tum inter Judæos, tum inter gentiles, qua in re traditiones locum habere poſſe, non inficiamur, quoniam quæ huc ſpectant, nec a ſcriptoribus θεοπνευστοις, nec ab ſcriptoribus eccleſiaſticis omnia explanate litteris ſunt perſcripta. Sed oportet, ut, qui illas primum in litteras miſerunt, ſint homines prudentes & fide digni, qui vel ipſo illo tempore, quo res contigiſſe perhibetur, in vivis fuerunt, ut illam certo ſcire potuerint, & ea ſinceritate ſint conſpicui, ut nulla nobis ſit dubitandi ratio, ad poſteros fideliter transmittere voluiſſe, vel non longe ab illo abfuerint, ac ex conteſtatæ veritatis documentis hauſerint, denique ea, quae memorant, cum relatione ſcriptorum αυτοπιστων, cum περιστασεσι perſonarum & locorum conſiſtere ac in concordiam mitti poſſint. Quod jam præſentem, qua de agimus, traditionem attinet, venditatur illa *primo* auctoritate APOLLONII, qui quidem a temporibus apoſtolorum & virorum

 apo-

apostolicorum non ita longe fuit sejunctus, quique tanquam homo doctrina & scientia instructus nobis describitur: sed quoniam scripta ipsius perierunt, ex tota serie & singulorum consecutione judicare non possumus, quo fine & quo consilio hæc ab ipso fuerit adducta. Sed vero ne hic quidem primus est, qui illam produxit. Ad Petrum provocatur, non illum, qui illustrem in venerando legatorum Christi collegio locum occupavit, cui Euangelii inter Judæos prædicandi provincia divinitus est commissa, quique epistolas, divinam auctoritatem præ se ferentes, nobis reliquit: sed tenebrionem aliquem, qui viri hujus sancti nomen ementitus, *prædicationem*, sic dictam, *Petri* chartis illevit.

§. V.

Sed progredimur ad *secundum*, num congruat traditio hæc iis, quæ scriptores, quorum fides extra omnem dubitationis aleam est posita, docent. Ubi notamus, (*a*) cum Jesus jamjam in cælos abiturus esset, hoc ipsis in mandatis dedit, *ne Hierosolymis excederent, sed exspectarent promissionem, quam ex se audiverint* Act. I. 4. Apostoli antequam ministerium suum auspicarentur, spiritus sancti virtute extraordinaria indui debebant, qui ipsis illa omnia in memoriam revocaret, quæ ab optimo magistro didicerant, illos novis identidem revelationibus instrueret, veritatem omnem doceret, in illa sanctificaret, ac potestatem ipsis atque facultatem largiretur, doctrinam suam, quoties opus erat, miraculis confirmandi. Quæ promissio cum Hierosolymis, unde doctrina & verbum Jehovæ exiturum erat Jes. II: 3. im-

plen-

plenda esset, quo sic omnibus adpareret, dominum ad templum suum venisse, illudque majori longe gloria, quam quidem prius, exornavisse, Malach. III. 1. Hagg. II. 9. necessum erat, ut in urbe remanerent, ac gratiam, sibi pollicitam, animo tranquillo ac pacato præstolarentur. Deus etiam sua providentia effecit, ne hostium, qui in Christi cultores male adfecti erant, furoribus disjicerentur. Quodsi igitur juxta traditionem Christi intentio fuisset, ut per duodecim annos Hierosolymis commorarentur, illis elapsis vero, exirent, ac doctrinam Christi inter gentes disseminarent, ac illas Ecclesiæ Christianæ consortio adjungerent; certe non commodior occasio illam declarandi, quam quidem in hoc nostro loco, fuisset; virtutem quippe Spiritus Sancti ipsis spondet, qua testes sui essent non Hierosolymis solum, verum etiam in omni Judæa & Samaria ad extremos usque terminos terræ v. 8. Quando igitur nullum commorationis ipsorum terminum præfigit, tempus exitus ad terras gentilium, quo Christo regi ac domino in obsequium submitterentur, prudentiæ ipsorum reliquit, quam per providentiam suam, occasionibus ac opportunitatibus suppeditatis, determinaturus esset. Et si quidem traditio hæc vera esset, illius proculdubio sequentium temporum doctores meminissent. Sed enim de illa apud ipsos, quod sciam, altum est silentium, unde prono alveo fluit, ipsam vel ignoravisse, vel si eandem compertam habuerunt, nullam eidem fidem habuisse. Prius, si communi fama fuerit sparsa, dici minus potest, posterius inde nobis patere videtur, quod ne quidem tum adduxerint, cum tamen series rerum ab ipsis tractatarum, commodam illis occasionem subministraret.

ret. CHRYSOSTOMUS ubi in eo est, ut doceat, Apostolos ex mandato Christi Judæis primum, inde gentilibus Euangelium prædicavisse, hæc subnectit: *propterea & apostoli Judæis prima prædicaverunt, longoque temporis spatio cæsi & flagellati in Judæa manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in gentes profecti sunt*, *homil.* LXX. in Matth. opp. T. I. p. 746. Fatendum tamen, hæc verba a textu græco in editione *Frontonis Ducæi*, quæ Parisiis 1633. prodiit, abesse. ATHANASIUS demonstrans, quo modo primum Christus, inde ipsius discipuli semen doctrinæ cœlestis sparserint, pergit: ϗ ἐχεις ἐν ταις πραξεσι τ̃ ἀποσολων γεγραμμενον, ὁτι μετα το λιθοβοληθηναι, τ̀ Στεφανον, ὑτως λεγει ἡ γραφη· οἱ μεν ὑν διασπαρεντὲς, ὐ δι ἀσθενειας σκορπισθεντες, ϗ γαρ διηρεθησαν τη πισει. *Et habes in actis Apostolorum, post lapidatum Stephanum Apostolos dispersos, & quasi disseminatos fuisse, non quod imbecillitate disjecti, sed fidei gratia ita divisi essent*, *serm. de sementi* opp. T. 1. p. 1062. edit. Paris. 1627. Minus accurate loquitur antistes, post lapidationem Stephani Apostolos dispersos fuisse, quod tamen, LUCA teste, de discipulis Christi, ab Apostolis distinctis, est intelligendum. Addimus verba EPIPHANII, qui, postquam narravisset, qua ratione Christus e conspectu discipulorum suorum, in unum congregatorum, in cælos fuerit sublatus, confestim adjungit: ϗ ἐνθεον ἀποτελεσας ἐκαθισεν ἐν δεξια τυ πατραν, πεμψας κηρυκας εἰς ὁλην οἰκυμενην, opp. T. II. p. 138. Quæ verba minus recte convertit PETAVIUS: *inde mox ut ad patris dextram consedit præcones in universum orbem dimisit*, cetera. Illud ἐνθεον vel mendose positum est pro ἐνθεν, *inde*, vel si retinendum, ellipsis no-

nominis substantivi ἔργον est admittenda, quod prætulerim. Hinc verba reddenda, & *divinum opus perficiens, vel divino opere consummato, consedit*, & quæ sequuntur. In his locis nullum plane vestigium mandati illius Christi, cujus tamen proferendi commodissima fuisset occasio, adparet. Ipsi etiam CLEMENS ALEXANDRINUS & EUSEBIUS traditionem nude enarrant, minus vero illam ab ipso Christo profectam fuisse, adseverant.

§. VI.

Ut (β) per tantum temporis spatium Apostoli Hierosolymis subsisterent, cum sapientia divina consistere minus potest. Ratio œconomiæ gratiæ divinæ, sub meliori fœdere administratæ, hæc erat, ut doctrina Euangelii primum proponeretur Judæis, quibus tabulæ promissionum gratiæ creditæ erant, quam ubi præfracte rejecerunt, ad gentiles se converterunt Act. XIII. 46. XVIII. 6. ad hos spectabant αἱ διαθῆκαι καὶ ἐπαγγελίαι, Rom. IX. 4. His igitur summa testamenti æterni declaranda erat, quo super sanguinem Christi jam effusum fœdus cum Deo conciliarent ac promissiones gratiæ ipsis exponerent atque offerrent. Ipsi Apostoli Abrahamo ad unum omnes prosеminati, & mandato divino ac caritate in fratres ducti, officium hoc suum non neglexerunt, sed simulatque pentecostes die necessariis ad hoc viribus fuerunt instructi, ipsis valide demonstraverunt, Jesum Nazarenum, quem in crucem egerint, Deum patrem, ipsum e mortuis excitando & ad dextram suam collocando, fecisse dominum & Christum Act. II. 36. & quod, qui in ipsum

credant, veniam peccatorum suorum sint consecuturi. Nec hic ipsorum labor fuit frustraneus, sed Deo singularem vim atque efficaciam verbo ipsorum addente, ad primam Petri concionem ter Judæorum millia ita sunt moti, ut Christo nomen dederint Act. II. 41. imo quotidie nova incrementa Ecclesia nascens accepit v. 47. non ita multo post 5000 Petro graviter concionante judaicæ superstitioni nuntium miserunt ac Jesu Nazareni doctrinam sunt amplexi, eidemque fidem suam addixerunt c. IV. 4. Ut taceam insignes accessiones, ex quibus memoranda maxime illa, quam memorat LUCAS Act. VI. 7. Et licet, Stephano lapidibus obruto, sæva in Christi cultores exsurgeret tempestas, ut multi ad carceres & supplicia raptarentur, indeque ingens illorum numerus, Apostolis exceptis, alio se reciperent, ut per Judæam atque Samariam dispergerentur c. VIII. 1. potuerunt tamen illorum multi, procella desæviente, rediisse, aliis Ecclesiæ Societati se adjungentibus, adeo ut aliquot myriadas Judæorum credentium, nominent Ecclesiæ Hierosolymitanæ antistites c. XXI. 20. quod licet non speciatim de exjudæis Hierosolymitanis intelligendum, verum etiam illis, qui extra Judæam degebant, illos tamen conspicuum admodum numerum effecisse, est certum. Addimus, statum Ecclesiæ Hierosolymitanæ prudenter admodum ordinatum fuisse. Rei eleemosynariæ homines probi atque prudentes præpositi erant Act. VI. 3. habuerunt Ecclesiæ præfectos, quorum primus Jacobus frater domini, illo autem trucidato, c. XII. 2. Jacobus minor, quin integrum presbyterium ipsis fuit constitutum c. XV. 4. XXI. 18. Si igitur Ecclesia Hierosolymitana certis legibus

ac

ac justo ordine fuit circumscripta, suis doctoribus ac ministris, qui ejusdem commoda, conservationem atque incrementum procurarent, instructa; sapientiæ divinæ fuisset adversum, si per integros duodecim annos Apostolos isthic detinuisset, quorum opera, cum sufficiens ordinariorum ministrorum numerus adesset, non æque necessaria erat, alibi vero locorum majori cum utilitate in promotionem regni Christi impendi poterat.

§. VII.

(γ.) Si traditio hæc absolute accipienda, quem ad modum accipi debere videtur, cum historia Apostolica in concordiam mitti non potest. Si sensus est, Apostolos ante 12. annorum lapsum urbe Hierosolymitana ad prædicandum Euangelium neque in Judæa ac vicinis regionibus, neque in terris gentilium exire debuisse, non una nobis difficultas oboritur. Ubi, cæde in Stephanum patrata Philippus diaconus Samaritanos adierat, illis Euangelium adnuntiaverat ac horum multi illud cum gaudio acceperant, ab eodemque sacris aquis inundati erant Act. VIII. 5–12. Apostoli Hierosolymitani, hoc nuntio accepto, eo ablegaverunt, Petrum & Joannem, qui, precibus fusis, manus ipsis imposuerunt, in eosdemque Spiritus Sancti dona derivaverunt v. 14. 17. qui ipsi etiam, dum Hierosolyma reverterentur, in via in vicis Samaritanorum prædicaverunt v. 25. Id ipsum vero non longe a Stephani supplicio evenisse historia loquitur, sed illud in annum ab adscensione Christi proximum incidisse, §. seq. demonstrabimus. Habemus igitur duos Apostolos Hierosolymam ante 12. istos annos egressos. Idem

Petrus

Petrus post ad *Lyddam* divertit, ibique Aeneam, paralysi adfectum, pristinæ restituit sanitati, inde *Joppen*, quæ non multum aberat, arcessitus, Talithæ vitam reddidit, quibus miraculis incolæ ita fuerunt adfecti, ut illorum fidem in Jesum sint testati Act. IX. 32-42. Ne quid de profectione ipsius Cæsareensi ad Cornelium centurionem commemoremus, ad quem monitu divino venit, eidemque ac domesticis ejus doctrinam Jesu, illiusque beneficia tanto cum fervore declaravit, ut inter concionandum spiritus sanctus ipsis superveniret, novis linguis loqui inciperent, & gratiam sibi factam diserto ore celebrarent c. X. Cum autem dona spiritus sancti extraordinaria communiter cum Baptismo communicata sunt, ubi manus ipsis imponerentur, hoc illustri φαινομένῳ palam est factum, spiritus gratiam non absolute pendere ab signis & sacramentis externis, sed esse indicium favoris ac beneficentiæ divinæ, ac consequens veræ atque sinceræ fidei, & ubi gentiles donis extraordinariis est dignatus, quibus & Apostolos & alios ex Judæis c. XI. 15. 17. hoc ipso Judæis temerarium illud præjudicium eximere voluit, sibi, si quando gentes profanæ ad consortium Ecclesiæ adducendæ, eminentem quandam deberi prærogativam. Addo, Paullum, ubi triennio elapso, Hierosolyma venit, præter Petrum & Joannem, nullum Apostolorum offendisse Gal. I. 18. 19. Initium triennii hujus ab ipsius conversione est ducendum. Cum enim sese Damasci tutum non videret Act. IX. 29. 30. inde in Arabiam abiit Gal. I. 17. ubi cum triennium exegisset, Hierosolymam adscendit. Quando autem duos illos Apostolos tantum invenit, non sine ratione concludere possumus, reliquos ad prædicandum

Euan-

Euangelium alio abivisse: per integros quindecim dies ibi est moratus, intra quod tempus, si praesentes fuissent, illos sine dubio convenisset.

§. VIII.

Nec ipsa (d) ubi relate ad praedicationem apostolorum extra Hierosolymam inter gentes accipitur locum suum tueri potest. Quod ut demonstretur, oportet inquirere, quo tempore Petrus Cornelium ad fidem in Christum adduxerit, & item in quem annum caedes Jacobi incidat. Quod primum spectat, difficile quidem est aliquos temporum characteres eruere, unde non nisi ἐν πλάτει aliquid definire possumus. Post caedem Stephani christiani hierosolymitani gravi affligebantur vexatione, quae in caussa fuit, ut illorum ingens multitudo in alia loca se converteret, secumque doctrinam Christi eo deferrent. Inter Christi autem ad patrem abitum & Stephani lapidationem non multum temporis intercessisse potuit. Cum enim ad primam Petri concionem binis vicibus ingens Judaeorum numerus, quod §. VI. demonstravimus, doctrinae Christi accessisset, hisque, stupendis a Petro miraculis patratis, cum tempore plures se adjungerent, Act. V. 14. VI. 1. necessitas efflagitavit, ut rei eleemosynariae quidam praeficerentur, quo ita pauperum egestati subvenirent. Ex quibus cum Stephanus ex mero in religionem christianam odio fictis de caussis violenta morte perimeretur, indeque odium hoc in reliquos Christi confessores transferretur, hi veriti, ne idem fatum subire cogerentur, per Judaeam atque Samariam sparsi, ubicumque potuerunt, veritatem christianae religio-

nis

nis disseminarunt Act. VIII. 1. Quæ ratio est, quare chronologi & viri docti præstantissimi supplicium Stephani in ipsum illum annum quo Christus cælos repetiit, conjiciant, quod LIGHTFOOTUS chron. temp. p. 64. seqq. opp. T. II. USSERIUS annal. V. & N. T. p. 643. fecerunt. Qui ita, opera cum primis Philippi conversi atque baptizati erant, illis per Petrum & Joannem, ab apostolis eo ablegatos, spiritus sancti dona, prævia manuum impositione, fuerunt impertita c. VIII. 17. Harum ecclesiarum status lætius usque efflorescebat, & luculenta incrementa sumebat, quas revisere eademque sanctis præceptis & cohortationibus communire visum est Petro c. IX. 31. 32. Hinc se contulit Lyddam, indeque Joppen v. 32. seqq. unde Cæsaream a Cornelio est evocatus, ipsumque cum sociis, quorum fides contestata erat, in ecclesiæ societatem recepit c. X. Qui eventus quoniam tempore non multum ab invicem sejuncti fuerunt, & quoniam præterea gentium ad ecclesiam accessio communi consensu comprobata erat c. XI. 18. ratio est nulla, quare non ab illo tempore apostoli reliqui ad prædicationem inter gentes exiverint. Ponamus autem, aliquot annos fluxisse ante, quam hi casus contigerunt, quem ad modum USSERIUS conversionem Cornelii a XLI. æræ vulgaris illigat, sic tamen 4. adhuc anni ad duodecimum ejusdem restarent, adstringit autem annum Christi emortualem a. 33. Jacobi cædem non multo post excepit mors Herodis Agrippæ. Jacobum tempore verno ante festivitatem paschalem gladio percussum fuisse, ex Act. XII. 1-3. liquet. Quo facto, cum & Petrus miraculoso quodam modo ex vinculis liberatus esset, Cæsaream demigravit, ubi

manu


manu Dei tactus, non ita multo post periit v. 19-23. Mortem hujus JOSEPHUS, qui consentanea habet Lucæ, nisi quod Jacobi cædem silentio prætermittat, anno tertio regni ejus exacto, contigisse perhibet. Τριταν δε ετ☉ αυτῳ βασιλευοντι της ὁλης Ἰουδαιας πεπληρωται και παρηῒ εις πολιν Καισαρειαν A. I. L. XIX. c. 3. §. 2. Cædem vero Jacobi pariterque horrendam Herodis mortem in a. C. 44. adeoque II. a morte & adscensione Christi accidisse, ostendit USSERIUS p. 658. 659. Ab illo autem tempore apostolos Hierosolymis excessisse & alibi locorum euangelium adnuntiavisse, communis fere est sententia. Quare minime probare possumus, quod ARNOLDUS *Kirchen und Ketzer historie* P. 1. L. 1. c. I. p. 31. scribit, Apostolos Hierosolymis non omnino discessisse, quam solo æquarentur. Sub id etenim tempus apostolorum plerique ob caussam Christi & veritatis mortem jam sustinuerant, alii in alias regiones demigraverant. Quodsi igitur narratio hæc ex incerto profluxit fonte §. IV. illius nullum in apostolorum actibus, nec scriptis apostolicis habetur fundamentum §. V. sapientiæ divinæ adversatur §. VI. nec cum historia sacra & temporum rationibus in concordiam mitti potest §. VII. VIII. nemo vitio nobis vertet, si adsensum nostrum cohibeamus, illamque tanquam dubiam & incertam suo loco relinquamus.

§. IX.

Quando igitur ex his quæ adhuc disputavimus, adparet, narrationem hanc fictam esse, fictionis autem, si a prudenti homine instituatur, ratio aliqua esse debet, quo aliis plausibilis videatur, id

superesse

superesse video, ut disquiram, numne occasio aliqua atque ratio ejusdem dari queat. Primum igitur noto, apostolos spectavisse tanquam homines, à nutu domini atque magistri totos pendentes, qui, maxime in rebus, ad ministerium illorum spectantibus, absque illius nutu ac Imperio nihil quidquam susceperint. Et quandoquidem norant, ipsos ad mandatum Jesu Christi Hierosolymis ad id usque tempus commoratos fuisse, quo extraordinariis spiritus sancti donis uberrime fuerunt exornati, nec tamen, hoc facto, urbe ad euangelium alibi locorum prædicandum egressos fuisse, hanc moram etiam ipsis a domino præscriptam fuisse, colligebant. Accedit, antiquos fere omnia instituta, ritus atque consuetudines, quarum ratio & origo erat incerta, ad Christum atque Apostolos retulisse. Sed qui præcise duodecim annos determinaverint, in tanta rerum caligine est obscurum & conjectu difficile. Forsitan qui hanc primus protrusit traditionem, rationem numeri duodenarii Apostolorum habuit, qui ad numerum duodecim tribuum Israëlis definitus ac circumscriptus fuisse non sine ratione videtur. Vel numerus hic est electus, quoniam in litteris divinioribus passim sacer & mysticus habetur, quo de conferri meretur ROELLIUS comm. in princip. epist. ad Ephes. p. 49–52. vel denique ex rationibus chronologicis, quas ingressi sunt, numerus hic processit. Verum in re obscura, quæque non adeo magni est momenti, præstat ἐπέχειν.



EXERCITATIO III.

DE EO,

NUM SOLEMNIS EXPIATIONIS ANNIVERSARIÆ DIES SUB TEMPLO SECUNDO FUERIT CELEBRATUS?



CONSPECTUS.

Proponitur sententia Molinæi, §. 1. existimantis, diem expiationum sub templo secundo celebratum non fuisse. §. 2. Disquiritur, (I.) num in quibusdam Euangelistarum locis ad diem hunc respiciatur, & quidem (α) Luc. I. 9. §. 3. (β) Jo. I. 29. §. 4. (γ) Jo. V. 1. §. 5. (II). Proferuntur suspiciones festum hunc diem sub templo secundo celebratum fuisse, §. 6. Idem probatur porro, quoniam in cod. Joma omnia munia, hoc die peragenda, ordine declarantur. §. 7. Suspicionibus

nibus succedunt argumenta historica (a) ex Josepho, Saganis mentionem faciente, §. 8. perhibente, vestes P. M. ab Herode magno, post Romanis adservatas, sed die expiationis redditas fuisse. (b) Ex mischna §. 9. quod argumentum §. 10. continuatur. Quod de Simeone justo refertur, in medium adducitur, & testimonio Siracidis confirmatur, (c) ex scriptura, §. 11. & quidem Act. XXVIII. 9. ubi loci per νηστεία jejunium sollemne, die expiationum observandum, est intelligendum, Idem §. 12. & 13. ex Ebr. VII. 27. probatur, ubi pluribus argumentis evincitur, crustula P. M. intelligi non posse. §. 14. Removetur objectio, illud καθ' ἡμέραν nunquam alio sensu, quam pro *quotidie* sumi. Vocem יומא etiam *festum* designare, non *codicem mischnicum* tantum, ostenditur. §. 15. Καθ' ἡμέραν Apostolo idem est, quod Ebræis ביומא. §. 16. Disceptatur, num Jacobus justus, quod quidam antiqui tradunt, sanctum sanctorum fuerit ingressus & laminam auream gestarit. §. 17. Solvitur objectio, petita ab absentia arcæ foederis, concedendo (α) illam in templo secundo non fuisse. (β) Demonstratur, ab absentia arcæ argumentum duci non posse, quod dies expiationis celebratus non fuerit, §. 18.

§. I.

Ubi argumentum de *celebratione festivitatis anniversariæ piacularis* sub templo secundo in medium adducimus, animo facile prospicimus, non defuturos, qui nos inconsultæ postulent imprudentiæ, laboremque nostrum supervacuum pronuntient: cum non facile aliquis anceps hæreat, una

cum

cum reliquis diebus festis, etiam hunc ipsum apud Judæos, quamdiu templum posterius stetit, obtinuisse. Forsitan & ipsi ita judicaremus, nisi constaret, non infimæ caveæ theologum contrarium pronuntiare nullum dubitasse. Est is celebris Galliæ theologus, PETRUS MOLINAEUS, qui sibi persuadere non potuit, sollemnitatem hanc toto illo tempore, quo templum Sorobabelicum stetit, in eodemque cultus divinus publicus secundum præcepta Mosis & majorum δευτερωσεις administratus fuit, usu viguisse. Sed audiamus ipsum! Verba, quæ huc spectant, habentur in elegantissimo ejus libello, qui *vates* inscribitur, L. 1. c. 25. p. m. 75. *festum Kippurim, seu purificationum, quo sacerdos comparebat coram arca, non est* CREDIBILE, *post reditum ex captivitate babylonica* OBSERVATUM FUISSE. Et ne quis existimet, hæc ipsi, rem non satis pensitanti, excidisse, (cum ex facili evenire possit, ut alicui in longa ac intensiori meditatione somnus aliquis obrepat & ingenii ac judicii acies hebetetur) rationem hujus sui effati subjungit, *quandoquidem nulla tunc arca erat*. Sollemnitates quidem hujus diei multi multa doctrina & industria explanaverunt, nemo tamen ex illis mihi hucusque occurrit, qui ex instituto inquisiverit, idemque illud demonstratum dederit, diem hunc, quamdiu templum secundum perduravit, sacra festivitate agitatum fuisse. Faciemus igitur hac nostra commentatiuncula, ut adpareat, potiores esse rationes illorum, qui adfirmant, quam MOLINÆI, qui negat, ostensuri, sententiam hanc nec locum habere posse, nec, quam adfert rationem, illam pervincere. Quare in medium producemus (1) sententias

tias illorum, qui sibi indicia celebrati festi hujus diei in nonnullis N. T. locis invenisse sunt visi, (2) argumenta expromemus, quibus evinci potest, hunc diem Judæis ad excidium usque urbis atque templi per Romanos sacrum fuisse (3) docebimus, licet arca fœderis a templo secundo abfuerit, nihilo tamen minus sacris hisce piacularibus vacare potuisse.

§. II.

Primum quod attinet, ex patribus sibi nonnulli persuaserunt, quos, quod mirandum, secutus est ERASMUS, *Zachariam*, Joannis Baptistæ parentem, pontificem maximum fuisse, & suffitum, quem in templo adolevisse dicitur Luc. I. 9. non fuisse suffitum quotidianum, sed annuum, quem sacerdos maximus, quovis anno die expiationis festo, in sacratissimo templi loco succendere tenebatur. Quæ sententia si vera esset, haberemus testimonium certum atque indubium festi hujus ante auspicia N. T. adhuc durantis. Sed vero in hac ipsa historia tot sunt indicia, Zachariam non fuisse sacerdotem summum nec illius vicarium, sed gregarium, ut mirum sit, in hanc sententiam quemquam eruditorum descendere potuisse. Auctores, qui illam refutarunt, nominat WOLFIUS ad h. l. quibus addimus ABR. SCULTETUM *exerc. Euangelii.* L. I. c. 6. 7. Nostrum non est, ea repetere, quæ a viris illis doctis, speciatim WITSIO, Miscell. sacr. T. II. p. 474. seqq. sunt observata: id tantum addemus, quod ab illis non æque dilucide est explanatum. Dicitur κατα το ἐθος τ̃ς ἱερατειας ἐλαχε τ̃ȣ θυμιασαι, v. 9. quæ SYRUS indeter-

minate

minate convertit, *secundum consuetudinem sacerdotii pervenit ad ipsum, ut suffitum pararet.* Ex quibus verbis cognoscere non possumus, num ministerium illud temporarium fuerit, & qua via ad ipsum fuerit delatum? Verba rectius ita redduntur, *secundum consuetudinem sacerdotii sortito ipsi obtigit suffitus*, munus aromata sacra incendendi. Sacerdotum in quaque classe, & ministeriorum quovis die obeundorum, multitudo in caussa fuit, ut viam *sortitionis elegerint*, JOMA c. II. §. 1. 2. MAIMONIDES de sacrif. jugi c. IV. §. 1. seqq. cujus ratio exponitur TAMID c. III. §. 1. ad quem videri potest erudit. IKENIUS, conf. MAURITIUS de *sortitione veterum* c. XXIV. p. 310. seqq. Speciatim sortitio circa suffitus negotium instituenda erat, quoniam peculiarem aliquem Dei favorem illi alligatum existimabant. Quo igitur illius singuli compotes evaderent, non solum per sortium praefectum semper *novi*, qui ministerio hoc nondum functi erant, evocabantur: verum etiam, quoniam bis per diem mane & vesperi sacrum hoc parabatur, qui mane adoleverant, tempore vespertino suffitum faciendi jus non habebant. Sortitio igitur repetebatur. Verum quoniam argumentum hoc in pecul. exercitatione de *sacerdote ex suffitus ministerio non divite*, quae habetur in *observationibus meis sacris* Traject. ad Rhenum a. 1735. 8. litterarum formis excriptis, occupavi, nolo actum agere. Sed enim quoniam sacerdos maximus erat solus, nec ullo reipubl. judaicae tempore plures uno hac dignitate sunt functi, sortitione opus non erat. Hoc ipsum usu obtinuisse, docet MAIMONIDES de *adparatu templi* c. V. §. 12. *suffitum*, inquit, *quo die, cumque libaisset, adolebat* (sacerdos maximus)

nec, ut sacris operaretur, sortiendum ipsi erat: sed cum placitum erat, quam vellet, rem divinam faciebat. Verba repetimus ex interpretatione latina LUD. COMPIEGNE de VEIL, Ebraica producit IKENIUS ad tamid. p. 111. Et quod cum maxime notandum, sanctitas diei piacularis erat tanta, ut omnia illius munia, nisi vel imbecillitate, vel immunditie impediretur, solus sacerdos maximus obire teneretur. Secundum legem divinam Aharoni, sacerdotum principi, hoc injunctum erat Exod. XXX. 10. Lev. XVI. 2. 12. seqq. adeoque idem ejus in summo sacerdotio successoribus competebat: quare MAIMONIDES de *solemni die expiat.* c. II. §. 1. adfirmat, *cuncta sacrificia quotidiana & extraordinaria die illo faciebat summus sacerdos vestibus aureis.* Consulantur CUNÆUS de republ. Ebræor. L. II. c. 6. DANZIUS *de functione* P. M. *in adyto anniverf.* c. I. §. 2. Quodsi igitur hoc die solus pontifex sacris est operatus, nec ullo tempore ad sortitionem fuit obligatus, nec obligari potuit, Zacharias autem per sortem suffiendi munus est nactus: indubia consecutionis lege sequitur, ipsum neque pontificem fuisse, nec suffitum, quo de in præsentia est sermo, in adyto, verum in sancto adolevisse, & per consequens, argumentum pro sacris expiatoriis, hoc temporis intervallo celebratis, necti nequit.

§. III.

Verba Joannis Baptistæ Jo. I. 29. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, circa diem expiationis, cum Jesum ad se accedentem conspiceretur, prolata fuisse, sententia est cel. le MOYNE

NE *var. sacr.* T. II. p. 481. 482. quam repetit in differt. ad Jerem. XXIII. 6. p. 196-205. ad quem concelebrandum cum ingens Judæorum turba, quo sollemnitati festivitatis tabernaculorum, quæ non longe aberat, interessent, concurrisset, ipsos ab hirco isto typico, in solitudinem demittendo, animis suis avocare, ipsorumque cogitationes ad Christum, verum antitypum, qui, qua sponsor, peccata nostra in se suscepit, eademque ipsa, expiatione facta, abstulit, convertisse. Opinionem hanc cel. DEYLINGIUS obs. sacr. P. III. p. 333. adpellat *elegantem*. Sed ex iis, quæ locum nostrum antecedunt & sequuntur, non adparet, ob instans expiationum festum verba hæc a Joanne pronuntiata fuisse. Si ex nexu quis judicare velit, deberet potius dicere baptistam agnos paschales in oculis habuisse, qui vicem verorum sacrificiorum sustinuerunt, dicitur enim c. II. 13. festum paschalem diem non longe inde abfuisse, in quos digitum intendisse suum Joannem, dexterrimus oraculorum interpres, COCCEJUS, pertendit, op. anecdot. T. II. p. 457. Adhæc subjecta non manent eadem: Hircus ἀποπομπαῖος convertitur cum agno, necdum ad liquidum est perductum, hircum, in terram desertam abducendum, sistere repræsentationem Christi, peccatis nostris onusti, eademque bajulantis. Existimaverim igitur, Joannis scopum esse, primarium Christi officium indicare, qui qua sponsor ac liberator peccata populi sui perfectissima obedientia sua sustulit & expiavit. In hoc declarando convenienter doctrinæ, in ecclesia manifestatæ, loqui debebat, illa vero non solum disertis verbis erat exposita, verum etiam obscuris umbris ac typis involuta re-

praesentabatur, quae utraque mutuam ad se habebat relationem. Cum typis quippe ita comparatum est, ut veritatem cognitam supponant, quam in effigie quasi quadam oculis atque animis subjiciant, eandemque obsignent. His praenotatis, me quidem judice, primum in oculis habuit insigne illud de Messia vaticinium, quod Jesaias c. LIII. 4-6. perscriptum reliquit. Quae veritas quoniam tot agnorum atque ovium victimis, durante O. V. fuit repetita & obsignata, simul ad agnos, olim mactatos, quorumque sacrificia illa tempestate quotidie adhuc offerebantur, baptistam respexisse, judicamus. Laetamur, in eundem modum cogitationes suas digessisse cel. VITRINGAM comm. in apocal. c. V. 6. p. 275. 276. qui tamen ante ad agnos, qui mane & vesperi quovis die mactabantur, non habita ratione loci Jesaiani, respici censuerat *observ. sacr.* L. II. c. 13. §. 5. p. 417. Sed vero & sic nobis argumentum decedit, expiationum festum sub templo secundo celebratum esse.

§. IV.

Ad illum igitur pedem promoveamus locum oportet, qui cuidam visus est hanc stabilire sententiam. Habetur is Jo. V. 1. ubi per ἑορτην των Ιουδαιων HARDUINUS comm. in N. T. vid. act. nova erud. lips. m. Mart. a. 1743. P. I. p. 107. festum expiationis vult intellectum. Quoniam Joannes minus determinate loquitur, cum Judaei diversas festivitates solennes obiverint, de alio itemque alio festo die cogitarunt interpretes, ut non facile aliquis publica religione sacer illis fuerit, quem non hic sibi invenisse sint visi. De

festo

festo *paschatis* ex antiquioribus explicuerunt IRENAEUS, ex recentioribus, BEZA, CHEMNITIUS, MONTACUTIUS, LIGHTFOOTUS, GE. CALIXTUS harm. euang. L. III. c. I. p. 117. CORN. a LAPIDE, alii. De festo *pentecostes* post CHRYSOSTOMUM cogitavit CALVINUS, *de festo tabernaculorum* JO. CHRIST. HARENBERGIUS bibl. brem. cl. VII. fasc. I. p. 90-93. JO. JAC. CRAMERUS *in cod. succa* p. 426-429. Festum *purim*, & quidem minus, quod in diem 15. mensis Adar incidebat, in oculis habuisse, judicat doct. LAMIUS, quod utpote *obscurius* non nominaverit euangelista. Sententiam ipsius cum rationibus suis exhibet DOUTREINIUS *bibl. brem.* cl. I. fasc. 5. p. 609-611. cui & ipse album adjicere calculum non veretur, quamdiu aliquid probabilius a nemine fuerit productum. In tanto sententiarum divortio, quid statuendum sit, judicatu est difficile, cum in iis, quæ circumstant præsentem locum, non certi characteres adpareant, ex quibus colligere queamus, quæ sigillatim, ex festivitatibus judaicis sit intelligenda. Diversa verborum ὀτι τετραμηνον ἐςι, κ ὁ θερισμος ἐρχεται c. IV. 35. acceptio, itemque vox ἑορτη c. V. 1. multum ad hanc vel illam sententiam adoptandam contulit. Ponunt tempore hiberno Christum verba illa fuisse prolocutum, a cujus lapsu quatuor menses putantes, in festum paschatis incidunt, & tum illa μετα ταυτα sensu strictiori accipiunt, quod si festum hoc memoratum statim periodo ista elapsa, agitari fuerit cæptum: a secundo enim paschatis die initium messis hordeaceæ ducebatur. Addunt, pascha præcipuum festorum omnium judaicorum fuisse, a quo reli-

qua numerari sint cœpta, & hinc κατ' ἐξοχὴν nomine ἑορτῆς venire posse. Qui pro pentecostes festo militant, illi messem triticeam in animo habent, & tunc tempus illud quadrimestre aliquanto producere debent. Qui de festo *expiationum* ac *tabernaculorum* sermonem esse conjectant, illa verba, ἔτι τετράμηνόν ἐστι, proverbialiter accipiunt, non de definito quatuor mensium ambitu, sed longiori aliquo spatio, nec verba μετὰ ταῦτα ita stricte sumunt. Id præterea pro festo tabernaculorum allegatur: sollemnitatem hanc ob insignem lætitiam, quum illud celebrantes fuerint testati, nomine חג, & apud scriptores sacros, & talmudicos venire, & propterea hic nomine ἑορτῆς specialim indigitari posse. Prior ratio etiam in præsidium sententiæ Harduinianæ adduci posset, festum quippe expiationis per quinque tantum dies tabernaculorum festum antevertebat. Verum ubi Christus dicitur, *adscendisse ad festum Hierosolyma* Jo. V. 1. manifeste adparet festum aliquod intelligendum esse, quo Judæi vi legis mosaicæ Hierosolymis comparere, ac sacris litare obstricti erant. Sed erant festum paschatis, pentecostes & tabernaculorum, quibus si non omnibus, illorum saltim aliquo, maxime qui ab orbe longius aberant, præsentes se sistere debebant. Hinc *Jo.* XI. 55. magnam populi turbam Hierosolyma commigrasse legimus. Christus ad festum tabernaculorum contendit *Jo.* VII. 10. *coll.* V. 1. Hi dies festi dicebantur *majores*, quibus doctores mischnici expiationis festivitatem non accensent, sed ab illis distinguunt, JOMA c. I. §. 8.

§. V.

Quando igitur in his locis nihil certi pro celebratione diei hujus sub templo secundo invenimus, certiora argumenta circumspiciamus oportet. Ut justum ordinem sequamur, præmittimus ea, quæ suspicionem movent, subjecturi ex fide dignis monimentis historicis ea, quæ caussam nostram extra dubium ponunt. Suspicionem movent verba Mosis Levit. XVI. 29. והיתה לכם לחקת עולם, *& sit vobis in statutum perpetuum*, quæ verba repetuntur v. 31. 34. Dubium vix est, quin legislator de toto ministerio, quo sacerdos hoc die fungebatur, edicat, item præcipiat de omnibus institutis, quibus Israëlitæ obsecundare debebant, quamdiu sc. terram colebant, interque illos tabernaculum primum, inde templum excitatum erat. De his pronuntiat, debere perpetuæ durationis esse, quamdiu nempe munia sacra in domo Dei peragi poterant. ABARBANEL propterea distinctionem facit inter ea, quæ in tabernaculo & templo administrari debebant, & ea, quæ ab israëlita omni postulabantur, ad quæ tribules suos hodieque vult obstrictos sc. *adflictionem animæ* (jejunium & abstinentiam ab omni, quod voluptatem externam procurare potest) *& cessationem ab omni opere externo*. Quando porro ab hujus diei justa celebratione peccatorum expiationem suspendebant, & per fidem in futurum Messiam consequebantur, fidei est propius, quin per Esram & socios, qui cultum externum post reditum ex captivitate babylonica ordinaverunt, sollemnitas hujus diei juxta Mosis constitutionem fuerit revocata. De hoc eo magis

gis persuasi esse possumus, quandoquidem clarum est & apertum, omnia reliqua festa, a Mosi injuncta, secundo templo stante obtinuisse. Num quis animum suum inducere potest, ut credat, voluisse festivitatem omittere, a qua tamen ad universum populum adeo insignem fructum redundare, nulli omnino dubitabant. Hunc diem festum tanti faciunt Judæi, ut dicere non vereantur, in diebus Messiæ omnia festa esse abroganda, excepto *die expiationum & festo purim.* Verba in *vaükra rabba*, excitante ALTINGIO de Schilo L. V. c. 19. p. 421. conf. GRABIUS Spicil. patr. T. I. p. 329. hæc sunt: כל המועדים פטלים חוץ מפור ים ויום הכפורים / *omnia festa cessabunt, excepto festo purim & die expiationum.* Parum abest, quin mihi persuadeam, esse fragmentum vetustæ patrum catecheseos, & illo indicari non tam ipsum festum expiationis, quam expiationis per Christum præstitæ fructum, commemorationem, celebrationem, obsignationem & adplicationem per omnia tempora Messiæ duraturam esse, cujus expiatio anniversaria levis aliqua umbra & effigies fuit. Quodsi igitur Judæi in ea perstiterunt sententia, festum hoc sub diebus Messiæ præ aliis revocatum iri, estne credibile illud, restauratis templi secundi sacris, prætermissum plane voluisse?

§. VI.

Adhæc habemus in mischna codicem, cui titulus est יומא / de die expiationis, in quo stilo admodum luculento omnia officia, quibus sacerdos maximus est perfunctus, sunt explanata, item qui-

quibus populus vacavit, ut veram testaretur resipiscentiam, sicque de remissione peccatorum suorum certus redderetur. Quod si vero, quæ in mischna continentur, ex testimoniis illorum, qui templum secundum suis lustraverunt oculis, & cultum externum vel ipsi administrarunt, vel ab aliis administratum viderunt, relatione porro discipulorum horum, schedis denique ab antiquioribus relictis, sunt congesta, quod præ aliis demonstratum dederunt ALTINGIUS in Schilo L. IV. c. 9. p. 241-242. itemque VITRINGA de templo Ezechielis P. III. p. 64-71. sequitur, festum expiationis, cuius λεπτολογίαν mischnici in hoc libro sistunt, sub templo secundo ad destructionem illius usque obtinuisse; alias ratio nulla dari potest, qui sollemnitatem eius adeo accurate describere potuerint. Addimus, a veritate alienum non esse, ea de caussa ritus omnes, quales stante Sorobabelico templo, in usu fuerunt, tanta solicitudine in unum coëgisse volumen, quo, si quando futuris temporibus templum cum omni cærimoniarum adparatu restitueretur, formulam haberent, ad quam sacra omnia externa componerent. Demonstratum id dedit GUIL. WOTTONUS in *Miscellaneis*, quorum præcipua momenta enotantur in *Biblioth. angloise* T. IV. p. 376. seqq. docens, mischnam veras Judæorum traditiones referre, ab illis profectas, qui tempore templi secundi ætatem egerint: probabile etiam esse, in illa haberi traditiones antiquiores illis, quæ *R. Jehudæ Sancto* natales suos debeant. Hinc non omnino probare possumus verba viri doctiss. J. G. de CHAUFEPIE diss. de *supplicio crucis*, repetita *Miscell. Duisburg.* T. II. fasc. 3. p. 407. existimantis, *quod illi traditionum architecti talem no-*

bis reipublicae & ecclesiae formam depinxerint, qualis ipsorum hypothesibus sententiisque conveniebat, quamque restitutam aliquando per Messiam, uti sperant, republicas, obtinere vellent. Mischnam eo fine compilasse, quo ad illius praescriptum templi cultus, ex ipsorum sententia olim restituendi, ordinaretur, haut inviti largimur: sed vero quae in illa traduntur efficta esse, quo sic ipsorum opinionibus essent adcommoda, dicere non audemus. Satis superstitionum & institutorum temere excogitatorum sub ultimis temporibus invectum erat, ut ab aliis comminiscendis facili opera abstinere potuerint. Sint etiam in mischna, speciatim cod. *Joma*, quaedam, quae non videntur ipso actu obtinuisse, sed a mischnicis doctoribus, quo anticipatis opinibus praesidio essent, commenta; (quorsum jure referre possumus, quod de cingula coccinea, aliquando albescente, jactitant) inde tamen minus recte infertur, omnia pro cerebri figmentis reputanda esse. Ad haec satis constat, acrem admodum inter Rabbanitas & Karaeos viguisse controversiam, quorum hi contendebant, aromata a pontifice ante, quam penetrale interius pervasisset, accendi debere, illi vero negabant, suffitum demum, ubi in conspectum Dei post velum comparuisset, in prunas ardentes, in thuribulo contentas, immittendum esse, sciscentes, Levit. XVI. 12. 13. Cum autem in illorum sententiam ex ipsis summis sacerdotibus non nulli aliquando concederent, ne quid contra legis effatum committeretur, seniores supremi senatus, praesente sacerdotum, dignitate & aetate venerabilium, concione, pontificem, sacra facturum, jurisjurandi religione obstrinxerunt, *ne quid mutaret ex omnibus illis, quae ipsi dicerent*, JOMA c. I. 5. conf. TRI-

GLAN-

GLANDIUS de *secta Karaeorum* p. 185. 186. edit. Wolfianae, & qui argumentum hoc ex instituto tractavit, LEONH. HOFMANNUS diss. de *summo sacerdote ebraeorum ante diem expiationis adjurato*, quae Jenae prodiit a. 1734. Cum autem certum sit atque exploratum, divortium istud Judaeorum doctores jamdum divisisse, quo tempore templi cultus perdurabat, indubium etiam sit, ipsos in externis quibusdam ritibus ab invicem discessionem fecisse, praeterea constantibus suffragiis testentur, pontificem sacramenti religione obligatum fuisse, ne quid contra legem Mosaicam in suffitus negotio immutaret, prono fluit alveo, expiationis festum sub templo secundo neglectum minime fuisse.

§. VII.

Sententiam nostram hucusque confirmavimus ratiociniis, ex illis, quae certa ponuntur, ductis, sicque caussae nostrae praejudicium aliquod praestruximus. Enimvero tota quaestio versatur circa rem facti, igitur ad illius certitudinem adstruendam testimonia fide digna requiruntur. Sed & illa nobis non deficiunt. Primum testem citabimus JOSEPHUM, sacerdotali prosopia oriundum, qui casum in rem nostram admodum opportunum victuris commisit chartis. Verba ejus haec sunt: ἐπι δε Ματθιε τε ἱερωμενε, συμβαινει και ἑτερον ἀρχιερεα καταςηναι προς μιαν ἡμεραν, ἣν Ιεδαιοι νηςειαν αγεσιν. αιτια δε ἐςιν ἡδε. Ο Ματθιας Ἱερωμενος ἐν τῃ νυκτι τῃ φερεσῃ εις ἡμεραν, ᾗ νηςεια ἐνιςατο, ἐδοξεν ἐν ονειρατι ὡμιληκεναι γυναικι, και δια τοδε ε δυναμενε ἱερεργειν, Ιωσηπος, ὁ τε Ελλημε συνιερεργησε αυτῳ, συγγενης ων, A. J.

I.

L. XVII. c. 6. p. 844. Tom. I. edit. Haver-kamp. Eventus hic contigit sub extremis Herodis magni temporibus, quo de ut solidum judicium ferre queamus, oportet præmonere de illo jejunio, hic sermonem esse, quod in diem expiationis incidebat, quo nemo nisi P. M. sacra obire poterat, ut hinc, si ad sacra facienda ineptus esset, alius illi substitui necesse fuerit. Illud in eo consistebat, ut ab omni cibo, potu, & quæ ad licitam voluptatem qualicumque modo faciebant, abstinere juberentur, JOMA c. VIII. §. I. MAIMONIDES de solemn. expiat. c. II. §. 1-7. qua de caussa κατ' ἐξοχὴν νηστεία, *bereschit rabba* צומא רבא *jejunium magnum* adpellatur. Conferatur BUXTORFIUS lex. rabb. p. 1898. RELANDUS *antiqu. ebr.* P. IV. c. 6. p. m. 457. Hoc die, quod §. 2. monui, solus pontifex sacris litabat, & si quando contingeret, ut propter immunditiem legalem, vel alium inopinatum casum, ministerium suum obire non posset, alius ipsi substituebatur, qui vicem ipsius sistebat *sagan* dictitatus. De eo hunc in modum talmudici in cod. JOMA c. I. §. 1. mentem suam explicant: שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פרהדרין ומתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע לו פסול *septem dies ante diem expiationis separant sacerdotem magnum a domo sua ad conclave parhedrorum, substituuntque illi sacerdotem alium, si qua pollutio ipsi obtingat.* Quando igitur nocte, quæ diem expiationis prævertebat, Matthias per quietem videbatur sibi cum uxore consuescere, sicque impurus reddebatur, Ellemus per illum diem vicariam ipsi operam præstare tenebatur. Quæ quoniam accuratissime conve-

niunt

niunt cum illis, quæ Mischnici perhibent, dubium est nullum, quin per *jejunium*, Josepho memoratum, expiationis dies sit intelligendus. Eandem historiam referunt Gemaristæ, בבן אילם מצפורין שאירע קרי לכהן גדול ביום הכפורים ונכנס בן אילם תחתיו בכהונה גדולה *de filio Illem ex urbe Sephori, qui, cum fluxus seminis supervenisset sacerdoti maximo, in die expiationis, ingressus* est (sanctum sanctorum) *& loco ipsius pontificatu est functus.* Quæ verba SELDENUS de *success. in pontificatum Ebræorum* L. 1. c. XI. p. m. 337. 338. pariter in medium adfert. Objicitur, P. M. tota illa nocte, quam dies sacrorum piacularium excipiebat, debuisse vigilare, & juvenes sacerdotes, ne somnus ipsi obreperet, actiones quasdam joculares suscepisse JOMA l. 7. & id quidem eum in finem, ne qua in somno pollutio nocturna ipsi superveniret. Objectionem hanc profert RELANDUS ad h. l. Josephi T. 1. p. 844. 845. Respondet (1) consuetudinem usu receptam non impedire, quo minus ab illa aliquando discedatur. Confirmat hoc exemplo Levitarum excubias in templo, noctu agentium, quos tamen aliquando in somnum prolapsos fuisse experientia constat. (2) Illa tempestate multa fiebant contra legem & consuetudinem diuturno usu firmatam, qua pontifices pro arbitrio constituebantur suisque muneribus exturbabantur.

§. VIII.

Audivimus Josephum, nominantem vicarium P. M. loco hujus die piaculari sacris intentum, videamus jam, numne alia nobis argumenta, ad

probandum id, quod demonstrandum sumsimus, nobis suppeditet. Opportunum est id, quod de vestibus sacerdotalibus memorat. Qui ubi accurate satis narravisset, την στολην τȣ ἀρχιερεως, totum vestitum pontificium, quo ab reliquis sacerdotibus distinguebatur, inde a temporibus Herodis magni in turri Antonia adservatum fuisse, quo ita Judæos sibi magis obnoxios haberet, nec illi res novas molirentur, atque Romani, postquam rerum domini facti essent, idem jus sibi vindicarint; narrat, Vitellium, Syriæ præsidem, cum Hierosolyma ingressus esset, hanc ipsis gratiam fecisse, ut totum illum magnificum ac pretiosum ornatum in sua haberent potestate; quem, quo sacerdos summus diebus festis sollemnioribus uteretur, in conclavi aliquo templi adservarint. En ipsius verba! ἑπτα δε ἡμεραις προ της ἑορτης, ἀπεδιδοτο ἀυτοις ὑπο τȣ Φρȣραρχȣ· καὶ ἁγνισθειη χρησαμενος ὁ ἀρχιερευς μετα μιαν της ἑορτης ἡμεραν. ἀπετιθετο ἀυθις τον οικον, ὁπερ ἐκειτο προτερον, καὶ τȣτο ἐπεραστο τρισιν ἑορταις ἑκαςȣ ἐτȣς καὶ τη Νηςεια. Ουιτελλιος δε κ. τ. λ. A. J. L. XVIII. c. IV. §. 3. Equidem PETITUS lectionem Josephi ἑπτα δε ἡμεραι solicitat, ac pro illis legi vult ἐπειτα δε ἡμερα προ της ἡμερας, ut sensus sit, die uno ante festum diem vestes hasce Judæis traditas fuisse. Verum quoniam nulla lectionis varietas in h. l. deprehenditur, ad hæc illa cum doctorum mischnicorum traditionibus accurate consentit; ratio est nulla, cur nostram lectionem missam faciamus. Pontificem maximum a domo sua septem dies ante expiationis festum separatum, inque conclavi quodam templi, ne quæ legalis pollutio eidem superveniret, §. 7. ex cod. JOMA probatum dedimus, addatur R. CHIJA in *additamentis ad cod.*

de

de die expiat. c. 1. §. 1. A probabili igitur ratione non abludit, idem circa vestes sacerdotales, saltim quod ad festum sacrorum piacularium, observatum fuisse, quo ἀγνισμὸς aliquis, si forte impuritas ipsis per profanos homines, in quorum potestate fuerant, inducta fuisset, procuraretur. Cumque postea Cuspius Fadus, procurator Judææ, jussu Claudii Augusti ab Judæis τον ποδηρη χιτωνια καὶ την ἱεραν στολην repeteret, ut, quod olim factum erat, in turri Antonia reponerentur, Judæi, legatione Romam missa, Herodis Agrippæ junioris intercessione id obtinuerunt, ut ἱερα ἐσθης καὶ στεφανος in illorum custodia esset, id. L. XX. c. 1. §. 1. 2. A quo tempore Judæi in possessione vestium harum sacrarum ad excidium usque urbis & templi permansisse videntur. Adparet hoc inde, quia ubi descriptionem urbis, templi ac vestium dederat, subdit: ταυτην μεν ουν την εσθητα οὐκ ἐφορει τον ἀλλον χρονον, λιτοτεραν δ' ἀνελαμβανεν, ὁποτε δε εἰσιοι εἰς το ἀδυτον εἰσηει δ' ἀπαξ κατ' ἐνιαυτον μονος, ἐν ᾗ νηστευειν ἐθος ἡμεραν παντας τῳ Θεῳ, *& hanc quidem vestem*, (auream dictam) *alio tempore non gerebat* (pontifex) *quippe simpliciorem adsumebat, sed tunc cum in adytum intraret: semel autem quotannis solus intrabat, quo die moris erat omnibus jejunio Deum colere*, de bello jud. L. V. c. 5. §. 7. Quod si igitur vestes pontificales, quarum in festis sollemnioribus usus erat, ante in arce Antonia adservatæ, Judæis concessæ fuerunt, post vero ipsis illis per se fuerunt usi & id inde ab Herodis magni temporibus ad excidium fere usque urbis, ac pontifex, speciatim die expiationis ipsis illis indutus munia sua implevit, evidens est ac manifestum, expiationis festum per totum illud tempus agitatum fuisse.

§. IX.

A Josepho ad doctores mischnicos pedem promovemus, periculum facturi, num & illi suppetias nobis ferant. R. CHIJA in additamentis ad cod. de die expiat. §. III. §. 22. narrat historiam de *Simeone filio Kamith, qui egressus est, ut vesperi cum rege colloqueretur, & sputum in vestes ejus decidit, ingressus est ejus frater, & functus est sacerdotio magno ejus loco. Sic eorum mater vidit duos summos sacerdotes eodem die.* In notis adjectis ex talmude Hierosolymitano *Horaiot.* f. 47. rem ita proponit: hunc ipsum vesperi diei expiationis ambulasse cum rege, inter eundum vero accidisse, ut vestes ejus ab alio sputo pollueréntur, ut adytum ingredi non potuerit, sicque frater ipsius ejusdem functiones in se suscipere necesse habuerit. Idem expromit JO. HENR. OTTO in Lex. rabb. ex *avot* R. NATHAN f. 9. col. 1. Sed ille nominat *Ismaëlem, ben Camithi*, atque huic inter confabulandum cum duce quodam evenisse perhibet, ut saliva ejusdem fuerit consperfus ac inquinatus, adeo ut caussa impuritatis legalis ministerium suum obire non potuerit, sicque ipsius vices frater subierit. Qui hic nominatur *Ismaël ben Camithi*, idem est cum *Simeone ben Camith*; SELDENO quippe de *success. in pontif. Ebræor.* p. 340. observante, in nonnullis exemplaribus pro *Simeone ben Camit* legitur *Ismaël ben Camit.* Quæ relatio si vera est, habemus pontificem, habemus pontificis vicarium, ministerium denique sollemni expiationis die peragendum. Sed historiam hanc ubi cum constitutionibus judaicis confero, non unum mihi dubium suboritur. Equidem quod de sputo pol-

polluente dicitur, cum canonibus judaicis in concordiam facile mitti potest. Ita quippe in cod. נדה c. VII. §. 1. decernunt, - דם הנדה ובשר המת מטמ אין ליחין ומט מאין יבשים אבל הזוב והניע והרוק - - מטמאין לחין ואין מטמאין יבשין / *sanguis menstruus*, *& caro mortui polluunt*, *humidi pariter & sicci: sed fluxus menstruus*, *& mucor* (narium) & SPUTUM - - *polluunt*, *ubi humida sunt*, *non polluunt*, *ubi sicca*. Cl. SURENHUSIUS, qui codicem hunc latine loquentem fecit, in sua versione verba - - והניע והרוק reddit per *sputum tenue & crassum*, secutus procul dubio BARTENORIUM, qui הניע interpretatur per רוק רך שיוצא ע' גענוע *sputum tenue*, *quod per commotionem*, rectius per *mucorem*, *qui naribus* effluit. Ex his igitur manifestum evadit, sacerdotem maximum sputu pollui potuisse: sed si ipsum hoc relate ad tempus, quo pollutio contigisse fertur, revocetur, relationi huic grave præjudicium creatur. Septem dies ante expiationis festum, ædibus suis relictis, in templum se recipiebat P. M. in eodemque, & quidem in conclavi parhedrin se detinebat, idque potissimum ea de caussa, ne qua re pollueretur. Liquet hoc ex illis, quæ §. 7. & 8. notavimus. Inde non discedebat ante, quam omnia hujus diei sacra ad finem perducta essent, JOMA c. IV. §. 2. Cum igitur separationis hujus a domo sua finis hic fuit, ut a pollutione præservaretur, dubium est admodum, voluisse hominem hunc vel die, expiationis festum antevertente, vel ipso illo die festo, templo exire, vel etiam hoc ipsi per sacerdotes, in quorum potestate tum erat, integrum fuisse. Omnis igitur historia hæc mihi conficta videtur, quo felicitas

 citas

citas matris deprædicaretur, quæ uno die duos filios pontifices viderit, alium, actu, alium fratris vicarium, sive *saganem*. Quare ex hac historia directe demonstrare non licet, expiationis festum hac tempestate actum fuisse, indirecte hoc inde sequitur, quia fingere illam non potuissent, nisi sollemnitas hujus diei illa ætate obtinuisset.

§. X.

Dubius fere hæreo, num proferam, quod impudentissimus scurra, qui librum sacerrimum תולדות ישוע הנוצרי ab *Huldrico* latine conversum & meritis castigationibus instructum, conscribillavit, impie nugatur, *Mariam*, filiam *Kalphus*, oriundam ex tribu Beniaminis, nuptam *Papo*, ex ædibus matris Bethlehemum abductam, ab *Josepho Pandera* Nazareno stupro compressam esse ביום צום כפור *ipso die esuriali, expiationi populi sacro*, eandemque, tempore circumvoluto, *Jesum Nazarenum* enixam esse p. 5. Futilitatem narrationis hujus operose demonstremus, nemo, opinor, a nobis postulabit. Committemus tantum hominem hunc cum alio ejusdem furfuris nequam, qui librum sub eodem titulo confinxit, quem WAGENSEILIUS in *telis igneis Satanæ* dedit, quo adpareat, quam parum mendaciorum architecti concordent. Hic fingit, Mariam, *Jochanani* desponsatam, a *Josepho Pandera*, sponsum simulante, gravidam fuisse factam, quæ post puerulum, quem Jesum adpellaverit, ediderit p. 3. seqq. Ne quid dicam, quod prior tempore Herodis magni contigisse comminiscitur, id posterior in ætatem regis Hassamonæi *Alexandri Jannæi* conjicit. Prior finxit, contigisse die expiationis

sol-

sollemni, quo sic commissum crimen in majus tolleret, hoc ipso enim *animas suas adfligere* debebant Levit. XVI. 29–31. XXIII. 27–32. Num. XXIX. 7. quam adflictionem inter alia Judæi explicant de abstinentia ab omnibus, quæ ad lætitiam & voluptatem licitam etiam excitandam facere poterant, speciatim de abstinentia a legitima coninge, JOMA c. I. §. I. R. CHIJA c. I. §. I. cui BLASIUS UGOLINI alia loca subjecit p. 160. 161. MAIMONIDES de sollemnit. expiat. c. 1. §. 5. Alia præterea caussa comminiscendæ hujus nequitiæ in die adeo sacro fuit, quoniam, qui illo concipiebantur, liberi & corpore infirmo morbisque obnoxio, & mente omnis generis vitiis deturpata, in lucem emitti sibi persuadebant: quod ipsum de illis etiam censebant, qui, dum mater in impuritate menstrua esset, concipiebantur. Sed id omne in ignominiam innocentissimi sospitatoris nostri est excogitatum, quo tribulibus suis, apertis mendaciis, odium in Christum & sanctissimam ipsius religionem inspirarent. Nullum igitur inde argumentum pro caussa nostra mutuari potest, cum & homines hi sint recentioris ætatis, & historia ex meris consuta sit fabulis. Aliud argumentum nobis subnascitur ex eo, quod de *Simone justo* gemarici doctores c. IV. cod. JOMA scriptum reliquerunt, quodque repetit SCHERINGHAMUS ad JOMA c. IV. §. 6. itemque OTTO hist. doctor. mischnic, apud WOLFIUM *biblioth. ebraic.* T. IV. p. 354. quamdiu summo sacerdotio fuerit functus, hircum, ne ad dimidium quidem præcipitii montis pervenisse, quin in frusta fuerit comminutus, & lingulam coccineam, in peccatorum expiatorum indicium & certam significationem,

cessum notabimus. (I) Lucam nominando νηστειαν istius modi designare jejunium, quod hoc nomine inter Judæos, probabiliter etiam gentiles, quibus cum illis commercium aliquod intercedebat, satis superque cognitum erat. Neque existimandum est, Lucam de alio, quam quidem judaico, loqui jejunio: quod etiam ipsi, licet gentilibus forte parentibus procreato, ignotum non fuit, & quia νηστειαν absolute ponit, jejunium intelligit, quod κατ' ἐξοχην hoc nomine vulgo veniebat. Optime hoc perspexit SYRUS, qui reddit *diem jujunii Judæorum*. Atque hoc in non aliud jejunium quadrat, quam quod 10. mensis Tisri quovis anno agebatur, Levit. XVI. 29. XXIII. 27. Num. XXIX. 7. qua de caussa etiam hoc JOSEPHO & PHILONI absolute νηστεια & νηστειας ἑορτη, de *septenario*, *&* *festis* p. 1174. 1194. talmudicis צום, quod §. 7. indicavimus, adpellatur. Confer. præterea B. THEOD. HASAEUS biblioth. brem. cl. 1. fasc. 1. p. 23. (II.) Tale jejunium intelligendum esse, quod in istam anni tempestatem inciderit, qua ob crebriores ventos ac procellas navigatio difficilior & molestior est facta. Equidem dicat aliquis, si jejunium hoc accipiendum est de jejunio diei expiationis, qui in 10. Tisri incidebat, hic autem septembri nostro respondet, existimari non potest, illo jamdum tempore navigationem periculosam fuisse. Verum huic objectioni occurrit ipse LUCAS, caussando, διὰ καὶ την νηστειαν ἠδη παρεληλυθεναι. Potuerunt igitur non dies aliquot, sed septimanæ a dicto jejunii die elapsi fuisse, sicque tempus illud propius accessisse, quo dies breviores, noctes longiores, & mare impetuosius fieri incipiebant. *Inde a die sexta Kalendarum Juniarum*

rum usque ad arcturi ortum, id est, in diem octavum decimum Kalendarum Octobrium, ut secura navigatio creditur — — ita post hoc tempus usque in tertium idus Novembris incerta navigatio est, & discrimini propior: propterea quia post idus Septembris oritur arcturus, vehementissimum sidus. Et octavo Kalendas Octobris aequinoctialis evenit acerba tempestas. Circa nonas vero Octobris hoedi pluviales, quinto idus ejusdem taurus: A Novembri autem mense crebris tempestatibus navigia conturbat vergiliarum biemalis occasus. Ex die igitur tertio iduum Novembris usque in diem sextum iduum Martiarum maria clauduntur, VEGETIUS *de re milit*. L. V. c. 9. edit. Plantin. ad quem consuli meretur STEWECHIUS. Conf. PITISCUS *lexic. antiquit*. T. II. p. 163. JAC. HASÆUS *biblioth. brem*. cl. t. fasc. 1. p. 26. 30. Licet igitur illo tempore, quod a LUCA indicari judicamus, mare nondum clausum esset, non tamen longe aberat ab illo articulo, quo *navigatio incerta erat, & discrimini propior*, quod adprime convenit illis divini scriptoris, ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοός. Quodsi jam per νηστείαν intelligendum illud adeo decantatum jejunium, quo Judaei expiationis die sese macerabant, hoc adhuc tempore festum illud in usu fuisse, tuto adfirmari potest. Fingamus contra, festum hoc sub templo secundo a primis illius initiis in tempus usque, quo LUCAS scribebat, per aliquot saecula plane celebratum non fuisse, quis, quaeso, vim vocis hujus adsequi potuisset? Probabile potius est, nomen festi cum ipso festo, tamdiu intermisso, dudum in exilium missum, & oblivioni datum fuisse.

§. XII.

§. XII.

Quando igitur ex his evidens eſt, diei piacularis feſtivitatem adhuc viguiſſe, cum initium N. T. jamdum factum eſſet, & eccleſia extra terminos terræ judaicæ ſe paſſim protendere inciperet: ſi ullibi illius veſtigia in novi foederis libris ſunt conſpicua, illa in epiſtola ad Ebræos, quæ umbrarum legalium rationem myſticam exponit, deprehendi poſſe, non ſine ratione conjectamus. Atque ita etiam, niſi nos omnia fallant, eſt. Alibi notavi, *Apoſtolum in illa utrumque ſacerdotium, Aharonicum pariter atque Chriſti in ſua activitate conſiderare, maxime vero quatenus* P. M. *ſacris in adyto interiore ſit operatus.* Adſtruxi hanc meam ſententiam partim ex conſideratione ſcopi, quem apoſtolus in oculis habebat, partim diſertis locis epiſtolæ hujus firmavi, *Muſ. bremens.* cl. II. faſc. 2, p. 23–28. Quod ſi igitur ex ipſa hac epiſtola probare poterimus, apoſtolum de expiationis anniverſariæ ſollemnitate ita loqui, ac ſi, adhuc ipſo actu perageretur, demonſtrationi noſtræ ingens robur accedet. Hoc autem non obſcure probari poſſe judicamus ex illuſtri loco Eb. VII. 27. Ὃς ὀυκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀναγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὸ τῶν ἰδιων ἁμαρτιων θυσιας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ· τοῦτο γαρ ἐποιησεν ἐφαπαξ. Perfectionem ſacerdotii Chriſti demonſtraturus v. 24. docet, eſſe illud perpetuum, adeo ut in illius locum non alius ſuccedat, ſicque ſacerdotium ad alium transferatur, uti factum fuerit in ſacerdotibus Aharonicis, morti obnoxiis. Unde conſectarium hoc elicit, poſſe ipſum ſervare omnes illos, qui per ipſum in Deum credant, pro quibus etiam per-

perpetuo intercedat v. 25. Quod dixerat, amplificat per descriptionem personæ Christi, sacerdotis, quod ad naturam, divinam & humanam v. 26. qui cum nulla peccati labe, nec originaria, nec actuali vitiatus esset, necesse non habuisset propria peccata expiare ante, quam ad aliorum peccata expungenda se accingeret. Locus hic noster difficultate non caret, illud quippe καθ' ἡμέραν interpretes dividit, quorum *alii* in *fertum*, sive *crustula* P. M. quotidie in altari comburenda, *alii* in *sacrificium anniversarium*, sollemni expiationis die peragendum, digitum intendi sibi persuadent. Utrorumque sententiam proposui in *obs. sacr.* exerc. VI. §. 5. p. 21. 22. meque *posteriori* pollicem premere rationibus adductis declaravi. Et certe haut levia sunt dubia, quæ priori obmoveri possunt. (1) Istiusmodi sacrificium, sive oblatio est intelligenda, per quam ordinarie typice sc. peccatorum expiatio procurari poterat. Liquet, hoc ex illis Mosis Levit. XVII. 11. כי נפש הבשר בדם הוא ואני נתתיו לכם על המזבח לכפר על נפשותיכם כי הדם הוא בנפש יכפר *nam anima carnis* (animantis) *est in sanguine, propterea ego dedi illum super altare, ad expiandum animas vestras, nam sanguis hic expiabit animam.* Chaldæus postrema verba reddit ארי דמא הוא על נפשא מכפר *nam sanguis hic animam expiat*, quæ LXX. convertunt, τὸ γὰρ αἷμα αὐτȣ ἀντὶ ψυχῆς ἐξιλάσεται. GUSSETIUS, qui hunc locum nostrum in *comment. ling. ebraic.* p. 397. attigit, illum ita [illegible]φεϱζει, *nam sanguis per animam expiabit*, i. e. vi animæ in sanguine consistentis. Opponit legislator animam animantis bruti, quæ consistit in sanguine, & animam hominis: illam per substitutionem Deus destinavit, in emolumentum hominis

nis peccantis, quo per eam tanquam λυτρον hujus peccata expientur. Conferri meretur CREMERUS *oedip. Evang.* p. 611. 614. Hæc ratio fuit, quare sanguis animantium Israëlitis fuerit interdictus, ut, qui illum hauriret & comederet, indignationem divinam incurreret, & populo suo exscinderetur v. 10. 12. coll. c. VII. 26. 27. Altari hunc destinaverat una cum adipe c. III. 17. VII. 23. quare qui illum in usum suum convertebat, in jus Dei involasse & sibi ipsi justitiam per propria opera parare velle judicabatur. Hinc apud Judæos in proverbium quasi abiit: אין כפרה אלא בדם *nulla est*, (sive obtinet) *expiatio*, *nisi per sanguinem.* Sanguis porro עקר הקרבן *fundamentum oblationis* dicitur. Ipsum hoc Apostolus expressurus, pronuntiat, χωρις αἱματεκχυσιας ου γινεται αφεσις Ebr. IX. 22. Sed vero crustula P. M. erant munuscula farinacea, quæ integra in ignem immittebantur. (II.) Paullus inter sacrificium sacerdotis summi, & populi hunc ordinem observatum fuisse notat, ut illud antecesserit, hoc secutum fuerit. Sed crustula primum obtulisse, ut peccata sua expiaret, inde ad sacrificium juge accessisse, quo populi expiationem procuraret, ordini in sacrificiorum negotio recepto adversatur. Duos agnos anniculos quotidie offerre tenebantur, alium mane, vesperi alium Exod. XXIX. 38. seqq. Num. XXVIII. 3. idem præcipitur de ferto, sive crustulis P. M. Levit. VI. 13. Fertum igitur hoc cum sacrificio jugi tum matutino, tum vespertino conjunctum fuisse dispalescit: ita tamen, ut fertum pro populo, quo de in locis superius excitatis, ordine saltim præcesserit. Primum omnium, ubi pecus mactata esset, hoc erat, ut sacerdos sanguinem pelvi exciperet, eundemque qua-

quatuor altaris angulis adspergeret, reliquum ad basin meridionalem ejusdem effunderet TAMID c. IV. §. 1. MAIMONIDES de sacrif. jug. c. VI. §. 2. Hæc sanguinis adspersio faciebat, ut caro victimæ ad altare deferri ac comburi posset, quod pluribus demonstratum dedit doctiss. JACOBS diss. de *adspers. Ebræor.* c. V. §. 11. p. 107. 108. Ubi autem sanguis ad altare devenerat, ad excoriandam pecudem inque partes discindendam demum accedebant, quæ singulæ per sacerdotes, ad id sorte lectos, ad altare deportabantur, quorum *septimus similam*, *octavus crustula* gerebat TAMID. IV. 3. JOMA. II. 3. Ad priorem locum commentatur BARTENORA: השביעי בסלת למנחת נסכים שעם התמיד בחביתין מנחת מחבת כג. Breviter סלת explicat de ferto, quod sacrificio jugi addebatur, & חביתין de crustulis P. M. quotidianis. Clarius id definit MAIMONIDES: *post similam adolebantur crustula: post crustula adferebatur vinum in libationem*, *de sacrif. jugib.* c. VI. §. 1. Efficimus inde, si locus noster de crustulis intelligendus esset, tum Paullus minus recte dixisset, sacerdotem maximum primum pro suis, tum pro populi peccatis sacra fecisse, cum actio circa crustula omnium fere ultima esset in quotidiano sacerdotali negotio. Si e contrario de anniversario sacro accipimus, omnia secundo alveo fluunt. Postea quam enim P. M. aromatibus suave olentibus, quæ prunis ardentibus immittebat, viam sibi ad adytum interius paravisset, cum sanguine juvenci, pro se & reliquis sacerdotibus mactati, est ingressus. Inde propriorum peccatorum expiatione procurata, hircum mactavit, ejusdemque sanguinem in expiationem peccatorum populi intulit Levit. XVI. conf. JOMA c. V. Sed

enim

enim ut in re manifesta longiores simus, necesse non est.

§. XIII.

III. Illud sacrificii genus est intelligendum, quod non gregarius sacerdos, sed solus P. M. administrare poterat. Ita enim sonant verba apostoli, ὀς ὀυκ ἐχει ἀναγκην. Sed crustula etiam per gregarios sacerdotes offerri poterant. Equidem juxta Levit. VI. 13. seqq. erat sacrificium sacerdotis maximi, quod proinde etiam ab ipso offerendum erat, nec dubium est, quin primis temporibus sacerdotes maximi pro se paraverint, sed ubi cum lapsu temporis munia sacerdotalia in humeros sacerdotum gregariorum fere devolverunt, officio suo non facile defungebantur, nisi festis sollemnioribus, quando cum ingenti pompa ac pontificali magnificentia sacris litabant. Habemus luculentum testimonium JOSEPHI: ὁ δε ἀρχιερευς ἀνηει μεν συν ἀυτοις, ἀλλ' ὀυκ ἀει, ταις δ' ἑβδομαςι και νουμηνιαις, και ἐι τις ἑορτη πατριος, ἡ πανηγυρις πανδημος ἀγομενη δι' ἐτους, *summus sacerdos autem cum ipsis sacerdotibus gregariis adscendebat, sed non semper, verum diebus singulis septimis, aut noviluniis, aut si qua festivitas patria, vel universa populi congregatio per annum agenda erat.* Nec etiam semper poterant, saltim si sacra ab ipsis, vestibus pontificalibus indutis, fieri deberent, quandoquidem illæ in Herodiadum, inde vero procuratorum romanorum potestate in arce Antonia satis diu fuerunt adservatæ, quas ante dies festos sollemniores ipsis concedebant quidem, illis vero exactis restituere debebant, quod §. VIII. demonstravimus. Vid. præterea JOSEPHUS A. J. L. XV. c 14. L. XVIII.

L. XVIII. c. 6. BRAUNIUS de *vestit. Sacerd.* p. m. 664. LARDNERUS *Geloofw. der Euangeli geschiedenisse* P. I. c. VIII. p. 223–225. JOSEPHUS postremo loco hunc in modum loquitur: τυτο ἐπρατῖε τρισιν ἑορταις ἑκαςυ ἐτυς κατα την νηςειαν, *hoc faciebat* (procurator Romanus, ut usum stolæ pontificiæ Judæis concederet) *tribus festis cujusque anni* CIRCA JEJUNIUM. Per *jejunium* juxta §. 7. 11. expiationis festum indicatur, hinc si priora verba τυτο ἐπρατῖε τρισιν ἑορταις, sana sunt, in posterioribus quædam excidisse videntur, hunc in modum supplenda, τυτο ἐπρατῖε ἑκαςυ ἐτυς, μαλιςα κατα την νηςειαν, vel si priora relationem suam ad νηςειαν habent, tria festa, quæ circa festum jejunii sollemnis fuere celebrata, festum sc. novi anni, ipse dies expiationis & sollemnitas tabernaculorum significantur. Posterius autem non æque convenit. Ex iis, quæ in supp. disputavimus, colligimus: Si pontifices crustula sua non semper obtulerunt, nec ob defectum vestium pontificalium postremis temporibus offerre potuerunt, Paullus autem in h. l. sermonem facit de sacris, quæ P. M. obire debuit, non nisi sacra piacularia anniversaria, quæ solus P. M. administrare debuit, ac ipso opere administravit, intelligi debent. Liquet hoc ex Levit. XVI. cod. *Joma* & *Maimonide de expiat. die* c. II. §. 1. 2. ut hinc, siquidem casus improvisus illi superveniret, vicarium eidem constituerent, quem saganem adpellare moris erat. Conf. quæ dicta §. 7. Denique (IV) Apostolus nominat θυσιας, quoties autem cumque vox hæc apud scriptores N. T. occurrit, designat sacrificium cruentum, ex animante bruto, quod mactabatur, cujusque sanguis ad altare deferebatur, paratum, vid. Luc. II. 24.

Act. VII. 41. 42. 1 Cor. X. 18. Ebr. X. 1. 11. XI. 4. Ubi autem τῇ θυσίᾳ additur vel προσφορὰ vel δῶρον tum vel generatim קרבן indicatur, vel מנחה uti Ephes. V. 2. Ebr. V. 1. VIII. 3. IX. 9. X. 8. in quo postremo loco προσφορὰ respondet voci מנחה Ps. XL. 7. Juxta ea igitur, quæ in medium attulimus, probabile plane non est, Paullum per θυσίας crustula P. M. indigitare voluisse.

§. XIV.

Pro sententia nostra stabilienda ex ipso loco nostro adhuc argumentati sumus, sed demonstrationi nostræ multum roboris decedit, si in ipso illo aliquid occurrat, quod eidem sit contrarium. Hoc autem, qui de sacris quotidianis P. M. agi volunt, sibi invenisse videri volunt in illo καθ' ἡμέραν, quod *nunquam alio sensu, quam pro* quotidie *adhibeatur*. Difficultatem hanc vel maxime urget B. WOLFIUS. Equidem non inviti largimur, a proprio atque usitato verborum significatu discedendum haut esse, nisi ut illum de relinquamus, necessitas suadeat. Quando autem, quod §. 12. 13. evicimus, per ferta ordinarie peccatorum expiatio procurata non est, crustula hæc non ordine prima fuerunt, nec illa semper a pontifice parata sunt, satis graves præsto sunt rationes, quare in h. l. consuetum alias sensum missum faciendum esse censeamus, qui tamen in aliis locis salvus manet. Dantur locutiones in N. T. quæ pro iis, quæ locos, in quibus occurrunt, circumstant, diverso sensu accipi debent, ut hine ordinaria vocis significatio pro interpretationis norma in singulis locis sumi non debeat,

nec

hoc etiam possit. Hujus exemplum in supp. habuimus in voce νηςεια, quae cum aliis omnibus in locis denotet actum hominis spontaneum, quo ad tempus a cibo atque potu, rebusque ad licitam voluptatem pertinentibus, abstinet, quo ita suam coram Deo demissionem testetur, se beneficiis ipsius indignum declaret, seque ad preces ac alia pietatis officia rite praeparet: in solo autem loco Act. XXVII. 9. certum ac determinatum tempus, quo istiusmodi religioso cultui vacabant, notat. Vox πασχά designat aliquando agnum paschalem Matth. XXVI. 2. Marc. XIV. 1. Luc. II. 41. XXII 1. Jo. II. 13. 23. & sic in aliis locis; aliquando autem etiam festum, quo agnum Paschalem mactabant, comedebantque Matth. XXVI. 17. Marc. XIV. 12. Luc. XXII. 7. Jo. XVIII. 28. Aliud dubium movet cl. JO. EBERH. RAVIUS in notis ad Relandi antiquitates sacras veterum Ebraeorum, probari non posse, nomine יומא diem expiationis Judaeis venire. Sententiam ipsius eruditi Lipsienses Act. nov. m. Octobr. a 1745. p. 601. ita repraesentant. *Joma non nomen festi expiationum esse, sed tantum titulum codicis talmudici, ostendit, Judaeosque nomen hoc semper restringere ad expiationem, si de festo disputent.* Quibus rationibus hanc suam sententiam confirmet, nos latet, cum lucubrationes doctissimi viri ad manus non sint. Quantum autem ex iis, quae Lipsienses excerpserunt, judicare possumus, notamus. (1) Ubi codex talmudicus, de sollemnitatibus diei piacularis agens, inscribitur יומא/ negari non potest, ipsum festum hoc nomine insigniri. Evincunt hoc codicum mischnicorum inscriptiones, שבת יום פסח סוכה/ quae nomina & argumentum horum librorum exprimunt;

munt; & nomina festorum designant. (2) Concedimus, in lege festum hoc integre adpellari יום הכפורים Lev. XXIII. 27. XXV. 9. atque ita etiam JOMA I. 1. VIII. 1. 4. 8. 9. Illud etiam largimur, ubi festum hoc per compendium יומא dicitur, id fieri cum restrictione ad expiationem, ut sic illud דכפוריא / quod expressum habemus ab ONKELOSO Levit. XXIII. 27. XXV. 9. vel דכפורי / quod exhibet paraphrasis Cant. IV. 3. subintelligatur. His concessis, salva tamen manet hypothesis nostra, vocem יומא sive absolute, sive relate sumatur, festo huic aptari posse, ut sic dies designetur præ aliis ad id a Deo destinatus ut, si sacra in fide in futurum Messiam rite pararent, testimonium expiati peccati acceperint. Et hoc sensu accipi vox יום videtur JOMA c. III. §. 3. ubi de pontifice maximo dicitur, ipsum בו ביום *illo*, sc. *expiationis die* aliquoties manus pedesque lavisse, ad quem locum consuli meretur SHERINGHAMUS. Videtur etiam adpellationem hanc ea tempestate usitatam admodum fuisse, ut Paullus ad Judæos conversos scribens, ab illis optime intelligi potuerit. In prædicatione Petri, scripto licet spurio, antiquo tamen admodum, cujus fragmenta quædam nobis servavit CLEMENS ALEXANDRINUS *stromat.* L. VI. p. m. 635. 636. inter alia Judæorum festa nominantur νεομηνια, ἀζυμα, ἑορτη, per quam forte tabernaculorum festum indigitatur, itemque μεγαλη ἡμερα. Cel. GRABIUS, qui in *spicilegio patrum* T. I. p. 64. ipsa hæc verba ex Clemente in medium attulerat, in notis adjectis p. 329. μεγαλην ἡμεραν recte de *die expiationis* explicat, qui absolute *dies* dicebatur Judæis, nominatur μεγαλη, quoniam uti PHILO pro-

pronuntiat, festum hoc ἑορτη μηγιςη habebatur, de *numero septen.* & festis p. 1194.

§. XV.

Quæ ad illustrationem loci hujus facere possunt, fere expedivimus, id unum superest, ut illa cum locutione καθ' ἡμεραν conciliemus. Quoniam sacra hæc piacularia anniversaria certo & a Deo definito tempore offerenda erant, non nulli judicarunt, hic per ellipsin vocem τεταγμενην omissam esse, prouti Jo. V. 4. Vox καιρ☉ tempus statum designat. Sed si vox ἡμερα, quod in supp. ostensum est, non diem indefinite, sed determinate certum & a Deo ipso institutum, eumque quovis anno recurrentem, sive festivitatem significat, istiusmodi supplemento opus non est. Vox κατα cum casu quarto constructa, idem significat, quod ἐν. Exempla ex profanis scriptoribus græcis attulit SCAPULA. Nec apud LXX. & divinos scriptores N. T. desunt. Jos. XII. 2. legimus ἡ ἐςιν ἐν τη Φαραγγι κατα μερ☉ τȣ Φαραγγ☉, ubi illud κατα omnino per *in* exponendum, *in parte vallis.* Eodem sensu venit Ps. CI. 25. κατ' ἀρχας την γην συ κυριε ἐθεμελιωσας, quæ repetit Ebr. I. 10. quibus verbis ad primum rerum omnium initium respicitur, quo Deus terram, fundavit. Matth. I. 20. II. 12. 13. 19 22. habetur κατ' ὀναρ, quam locutionem Syrus reddit *in somnio.* Matth. XXVII. 15. Marc. XV. 6. Luc. XXIII. 17. refertur, Pilatum κατα την ἑορτην, in festo paschali aliquem vinctorum dimittere debuisse, quod pariter Syrus interpretatur *in festo*, in eo a verborum sensu aberrans, ac si consuetudo hæc singulis festis obtinuerit.

Igitur illud καθ' ἡμέραν in hoc nostro loco idem est, ac si Ebraice Apostolus scripsisset ביומא.

§. XVI.

Aliud argumentum pro celebratione diei festi hujus & quidem non longe ante πανωλεθρίαν urbis & templi nobis subministraret historia ecclesiastica, modo vadimonium pro facti veritate præstari posset. De Jacobo, fratre domini, cognomento *justo*, ex HEGESIPPO perhibet EUSEBIUS, H. E. L. II. c. 23. τουτω μονω ἐξην εις τα ἁγια εισιεναι, ουδε γαρ ἐρεουν ἐφορει, ἀλλα σινδονας. καὶ μονος εισηρχετο εις τὸν ναον. Eadem, & quidem cum additamento quodam repetit ABDIAS. EUSEBIUS tantum nominaverat ἁγια, ille adpellat *sancta sanctorum*. Verba ipsius hæc sunt: *huic licebat ingredi in sancta sanctorum. Neque enim lineo utebatur indumento, sed tantum sindone.* Solus *ingrediebatur templum*, *hist. apost.* L. V. apud FABRICIUM *cod. apocr.* N. T. T. II. p. 599. 600. conf. HIERONYMUS *catal. script. eccles.* c. II. p. 24. Idem specialius determinat EPIPHANIUS *adversus hæres.* L. III. T. II. p. 1045. cujus verba hæc sunt: μονον τουτω τω Ιακωβω ἐξην εισιεναι του ἐτους εις τα ἁγια των ἁγιων. δια τὸ Ναζωραιον αυτον ειναι, καὶ μεμιχθαι τη Ἱερωσυνη. Describit igitur ipsum non ut sacerdotem gregarium, sed pontificem maximum, quare etiam laminam auream eidem aptat: οὗτος ὁ Ιακωβος καὶ πεταλον ἐπι της κεφαλης ἐφορησε. Copiosius & dilucidius hæc complectitur *hæres.* XXIX. L. I. T. II. Ἐπι δε και ἱερατευσαντα αυτον κατα την παλαιαν ἱερωσυνην ἐυρομεν. διο και ηφιετο αυτω ἁπαξ του ἐνιαυτου εις τα ἁγια τῶν ἁγιων εισιεναι,

ἀσιέναι, ὡς τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἐκέλευσεν ὁ νόμος, κατὰ τὸ γεγραμμένον· οὕτω γὰρ ἱστόρησαν πολλοὶ περὶ ἡμῶν περὶ αὐτοῦ, Εὐσέβιός τε καὶ Κλήμης, καὶ ἄλλοι. ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν. Quæ relatio si vera esset, haberemus argumentum omni exceptione majus. Sed contra illam multa dubia jamdum movit illustr. SCALIGER in *chronicon Eusebii* p. m. 177-179. Equidem DION. PETAVIUS, cui nihil, quod a SCALIGERO profectum erat, placuit, ejusdem animadversiones infirmare est adnisus, potissimum ea de caussa, quoniam quidquid de Jacobo ejusque ornatu sacerdotali circumfertur, hierarchiæ ecclesiæ suæ atque vestitui præfectorum sacrorum aptant pontificii. Verum enim vero qui, quæ in medium attulit, pensiculatius confliget, facili negotio deprehendet, ita comparata esse, ut SCALIGERI sententiam minus evertant. Nos, in subsidium adsumtis animadversionibus SCALIGERIANIS, dubia nostra proferemus, simulque PETAVII exceptiones examini submittemus. Primum monet, Eusebium ex Hegesippo tantum habere ἅγια, Epiphanium addidisse ἅγια ἁγίων, quod autem non de *sancto sanctorum*, sed *sancto*, anterioris parte templi vult intellectum. Hinc judicat, quædam illi addita, pleraque tamen vera esse, quare totum illam historiam damnandam non esse censet. Sed enim satis constat, Hegesippum exiguæ fidei hominem esse, ut hinc relationi ipsius, nisi consensus aliorum scriptorum accedat, vel temporum, locorum ac personarum περίστασις verisimilitudinem pariant, non multum sit tribuendum. Si ingressus ille εἰς ἅγια (ponimus totam hanc historiam proprie esse accipiendam, cum non desint, qui, quod de Jacobo narratur, im-

proprie accipi velint) respiciatur tamquam privilegium soli Jacobo proprium, certe hunc conceptum unicuique suggeret, de ingressu in adytum, & quidem die anniversario Expiationis, esse sermonem: quandoquidem in ναῷ, parte templi, quæ היכל dicebatur, gregariis sacerdotibus versari erat integrum, in penetrale vero interius se immittere nefas ducebatur. Nec ratio adjecta suadet, ipsi licitum fuisse adytum petere, quia lineis indutus fuerit vestibus, his enim etiam gregarii sacerdotes sunt usi. Porro probari nequit, Jacobum prosapia sacerdotali proseminatum fuisse, & si quidem nascendi sors jus sacerdotio fungendi ipsi dedisset, num probabile est, Judæos passos fuisse, ut ipse hæresi Christiana infectus, sacra tractaret, minime omnium, ut sacratissimam functionem die adeo sancto perageret. Voluisse hoc sanctimoniæ Jacobi dare, *ut ad sancta perveniret*, quod PETAVIUS conjectat, est ἀπροσδιόνυσον. Virtus quidem & sanctimonia vi legis divinæ requirebatur, sed hæc erat potius conditio, quæ a sacerdotibus postulabatur, non autem in se spectata, jus ad dignitatem sacerdotalem largiebatur: nativitatis fortuna, si reliquæ conditiones adessent, viam sternebat, ut quis sacerdotium adpetere, eidemque admoveri posset. Et certe ætate ista, quam Jacobus vivendo attigit, non tanta in virtutem existimatione ducebantur, ut illam cum neglectu legum avitarum adeo excellenti dignitate remuneratam voluerint. Quod de lamina aurea, a Jacobo gestata, additur, id plane est ineptum. Sacerdotes summi extra functiones suas vestibus sacerdotalibus non utebantur, sed communibus fere incedebant. Quædam etiam huc spectantia habet illustr. HEINEC-

NECCIUS in elegantiſſima commentat. de *habitu & inſignibus ſacerdotalibus apoſtolorum.* c. V. p. 84. ſeqq. Conferantur ea, quæ cel. COTTA diſſert. de *lamina pontificali apoſtolorum Joannis, Jacobi & Marci* §. 10. p. 38-41. diſputat.

§. XVII.

Ex his argumentis abunde adparet, *Molinæi* ſententiam lubrico, imo nullo niti fundamento: reſtat ut (III) rationem, quam eidem ſubſternit, examinemus, *quoniam tunc nulla arca fuerit in ſacrario.* Argumentatur ita vir doctiſſimus. Dies expiationum eum in finem celebrabatur, quo populus de peccatorum ſuorum expiatione certus redderetur, verum de eo perſuaſus eſſe non poterat, niſi P. M. cum ſanguine juvenci & hirci conclave interius ingrederetur, eundemque verſus arcam fœderis ſpargeret, ſicque populi expiationem procuraret. Sed a templo ſecundo arca fœderis abfuit: igitur adſperſio ſanguinis fieri non potuit, & per conſequens feſtum expiationum non eſt celebratum. Equidem quamdiu tabernaculum ſtabat, ſacerdos maximus ſanguinem verſus propitiatorium ſepties ſpargebat Lev. XVI. 14. 15. JOSEPHUS A. J. L. III. c. X. nec dubium eſt, quin idem obtinuerit in templo Salomoneo. Arcam vero a templo ſecundo abfuiſſe, conſtans Judæorum eſt traditio, JOMA c. V. §. 2. adeoque illius abſentiam inter quinque defectus templi Serubabelici referunt. Quæ num in ſpecu quodam ſubterraneo fuerit recondita, an templi incendio perierit, an denique in Babyloniam fuerit deportata? diſceptatur, quo de videri poſſunt MAIMONIDES de *ædif. templi*

c. III. §. 1. LIGHTFOOTUS *descript. templ.* c. XV. p. m. 589–590. opp. T. I. speciatim BLASIUS UGOLINI in *adnot. ad R. Chüæ addit. ad cod. de die expiat.* p. 117–120. qui diversas de occultatione arcæ sententias collegit. Proximius hoc ad fidem accedit, templo a Babyloniis igne destructo, arcam etiam fœderis absumtam fuisse, quod, ubi aliorum hac de re sententias proposuisset & examinasset, adstruit CARPZOVIUS differt. *de eo, quo arca fœderis pervenerit* p. 2. 17. Verum enim vero si arca fœderis igne conflagravit, nec restituta est in templo secundo, quæritur, num dies expiationum locum habere potuerit, cum sacratissima ejusdem diei actio fuerit illa, qua sacerdos maximus sanguinem versus propitiatorium arcæ sparsit? Hoc dubium tanti est visum erud. PRIDEAUX, ut adseverare nullus sit veritus, in secundo templo arcam ejusdem, quæ in primo, figuræ ac magnitudinis, exstitisse, eodemque in loco positam fuisse, caussam hanc dans: quoniam absque illa id, quod maxime *essentiale* erat in festo expiationis, comparitio sc. summi pontificis coram arca locum habere non potuerit. Suspicatur igitur, ipsam ad excidium usque templi superfuisse, indeque, urbe per Titum capta & evastata Romam in triumphum fuisse deportatam: quæ licet in arcu triumphali hodie non conspiciatur, concipi tamen non posse, qui lex, quæ pariter eo delata fuerit, absque theca sua, arca, fuerit portata, *Histoire des Juifs* T. I. p. 261–266. Videtur vir doctiss. legisse vestigia gentilis sui, LIGHTFOOTI, qui ubi dixisset, verisimile esse, admodum, arcam conflagrasse, inque templo non fuisse: addit: *attamen habebant etiam ipsi arcam eo in loco* (sancto sanctorum) *quam*

fabricaverant, *quemadmodum habebant pectorale judicii*, c. I. p. 590. Sed mirandum est, viros in magistrorum scriptis & omni antiquitate judaica versatissimos, in hanc ingredi potuisse sententiam, Judæorum doctoribus ad unum omnibus testantibus, arcam foederis in templo secundo non fuisse: nec contrarium illius ex JOSEPHO demonstrari potest. In subsidium caussæ nostræ devocare possumus verba hominis pagani, sed historici gravissimi. TACITI, qui hist. L. V. c. IX. refert, *Pompejum*, urbe hierosolymitana domita, *templum jure victoriæ fuisse ingressum. Inde vulgatum*, pergit, *nulla intus Deum effigie vacuam sedem*, *& inania arcana.* Pompejum autem in ipsum penetrale templi interius, quod *sanctum sanctorum* dicitur, irrupisse, non obscure innuit JOSEPHUS, cujus verba hæc sunt, παρὲλθων γαρ συν τοις περὶ ἀυτον ὁ πομπηιος εἰς τὸ ναον, ἐνθα μονω θεμιτον ἠν παρηναι τῳ ἀρχιερει, τα ἐνδιον ἐθεασατο κ. τ. λ. si jam Pompejus, pervadendo templum, ad ipsum processit adytum, atque inde fama est vulgatum. illud deorum effigie esse vacuum, certe arca ab illo abfuit. Si enim Pompejus, & qui cum ipso erant, illam una cum Cherubinis, alas expandentibus, suis tuiti essent oculis, illos omnino pro deorum simulacris reputassent. Concedimus etiam, legem Romam absque theca delatam non fuisse, sed inde non sequitur, arcam foederis fuisse. Uti libri sacri in peculiari arca, sive armario prope arcam foederis posito, in templo priori adservati fuerunt; ita probabile est, hujus generis arcam librariam in templo posteriori parandam curavisse, quod ipsum etiam post alios suo adsensu comprobat MAJUS *theol. prophet* p. 12. 13. Possent etiam verba, quæ in cod. *Joma*

c. I.

c. I. §. 1. leguntur, cuiquam suspicionem movere, arcam foederis templo secundo præsentem fuisse, quæ latine ita reddi possunt: *ibat* (sacerdos maximus) *sinistrorsum juxta velum, usque dum perveniret ad arcam, ad arcam ubi venit, acerram inter duos vectes deposuit.* Sed enim existimandum non est, doctorum mischnicorum mentem hanc esse, ac si pontifex ad arcam vere accesserit, intra illius vectes substiterit, & acerram deposuerit, alias sibi contraria loquerentur: sed hoc volunt, accessisse ad illum locum, in quo arca olim fuerit, & substitisse ibi, ubi vectes arcæ olim prominebant. Arcæ foederis, Romam deportatæ, nullum in arcu triumphali adparet vestigium, nec RELANDUS, qui de *spoliis templi secundi* erudite & accurate commentatus est, ullam illius facit mentionem, cui jungi potest CAPRZOVIUS cit. diss. p. 15-18.

§. XVIII.


Sed dicat aliquis, si certum est, arcam fœderis a templo secundo abfuisse, difficultas de festo expiationis non celebrato remanet. Uti prius diffiteri non possumus, ita via tamen, qua difficultas expediri queat, se nobis pandit. Primum igitur notandum est, legem hanc esse *positivam*, quæ in circumstantiis externis rationem habet, quæque proinde, illis mutatis, plane tolli & abrogari, vel, *essentialibus* manentibus, in quibusdam circumstantiis ob rationes certas mutationem pati potuit. Essentiale erat non tam comparitio P. M. coram arca, quam sparsio sanguinis versus illam. Ut compareret, erat antecedens, vel conditio, quo sparsionem peragere posset. Sparsio erat necessa-

cessaria & essentialis, quoniam per illam expiationem populi typice procurabat, quæ dum versus propitiatorium instituebatur, cui gloria Dei in tabernaculo & templo primo insidebat, Deus sanguinem animantis bruti pro anima illorum, pro quibus cærimonia hæc sacra suscipiebatur, accipere censebatur. Ad hæc ipsi illi, qui arcam in secundo templo fuisse contendunt, schechina tamen destitutam fuisse, ultro fatentur: sed hujus sedes erat arca, quæ inde *scabellum ipsius* dicitur Thren. II. 1. ipse Deus *habitasse super Cherubinos* adfirmatur 2 Sam. VII. 2. 2 Reg. XIX. 15. qui ex arca prodeuntes alis suis solium quasi constituebant, cui schechina insidebat Ps. LXXX. 2. XCIX. 1. Cum autem Deus ob sapientissimas rationes præsentiæ suæ Symbolum in secundo templo constituere nollet, hujus vero sedes Cherubinorum alæ essent, absente schechina, ipsa etiam arca necessaria non erat. Nec tamen propterea dici potest, actionem P. M. in expiationum die peragi non potuisse. Absentiæ schechinæ & arcæ caussa erat Deus, sed hic per viros divinos cultum externum juxta legem Mosis restitutum voluit: igitur absentia arcæ ex intentione Dei celebrationem festi hujus impedire non potuit. Præterea, si adspersionis rationem consideramus, illa obtinere commode potuit, si vel ipsa arca non adesset. De illa Levit. XVI. 14. 15. præcipitur, sanguinem juvenci pariter atque hirci spargendum esse על פני הכפרת & לפני הכפרת / quæ verba quoniam duplicem sensum admittere possunt, vel ut sanguis *ad superficiem propitiatorii* pervenerit, vel ut *versus propitiatorium* tantum fuerit directus, eru-

ruditi in divortia abeunt, quorum alii posteriorem, priorem alii amplectuntur. Posterior communi fere doctorum mischnicorum consensione nititur, quare BARTENORIUS ad Joma V. 3. commentatur, והדי לא על הכפרת נוגעים אלא לארץ נופלים *num* (sanguines) *non propitiatorium attigerunt, sed in terram reciderunt.* Eandem oppido ex Christianis plures suam faciunt, quos nominat DEYLINGIUS *obs. sacr.* P. II. p. 191-193. it. p. 486-487. quibus etiam se ipsum adjungit. Priorem tuetur doctiss. JACOBI diss. cit. p. 113-115. qui tamen demonstrationem suam his concludit verbis: *verum tamen cum recutitæ gentis magistri mordicus adserto isti* (quod sc. sanguis propitiatorium non attigerit) *inhæreant, omnem hanc litem ita dirimendam esse judico: de jure quidem semper oportuisse sparsionem hanc versus propitiatorium dirigi, licet aliquando de facto non contigerit.* Nec illi, qui posteriorem adoptant sententiam, inficias eunt, sanguinem aliquando propitiatorium contigisse. Hunc in finem DEYLINGIUS locum ex talmude babylonico cod. Joma c. V. fol. 60. producit, in quo tradunt, si quando evenerit, ut ex improviso propitiatorium sanguine fuerit tinctum, id expiationem non impedivisse. Si igitur sparsio sanguinis non ipsam arcam foederis & speciatim operculum ipsius attigit, etiam illa sine arca versus superiorem partem institui potuit, & per consequens absolute necessaria non fuit, absentia arcæ foederis in caussa esse non potuit, ut festi expiationum celebratio intermitteretur. Tabernaculo & templo priori stantibus, P. M. intra vectes arcæ deponebat acerram, odores suaves ex accensis aroma-

romatibus exhalantem, sed illa in posteriori templo deficiente, super *lapidem fuudationis*, quem adpellant, collocabat, JOMA V. 2. R. CHIJA cit. l. c. II. §. 23. Quo de *lapide fundationis* ejusque usu multa cum doctrina & sagacitate disserit vir eximius, THEODORUS HASAEUS, commentat. de *lapide fundationis* c. I. §. 21-23. 27. 28.





EXERCITATIO IV.

DE

ADPARITIONE ANGELI FACTA ZACHARIAE, JOANNIS PARENTI, IN TEMPLO AD LUC. I: 8. seqq.



CONSPECTUS.

Historiam adparitionis angeli §. 1. b. LUCAS accurate descripsit. 2 Circa adparitionem (I.) generalia quædam præmonentur, factam sc. fuisse, dum in suffitu adolendo occupatus esset. 3. Modus suffitus adolendi declaratur. 4. Parabatur in altari aureo, cujus situs determinatur. 5. Tanta copia aromata accendebantur, ut ædem sacram odore suavi repleverint. Sententia MAIMONIDIS examinatur. 6. (II) Specialius ostenditur, adparitionem probabiliter tempore suffitus contigisse. 7. Et quidem ubi suffitum & preces peregerat. Angelus,

lus, quod veri admodum est simile, forma humana fuit conspectus. 8. Angelus Gabriel, si fuit angelus creatus, fuit primæ dignitatis. 9. Per totum populum, qui in notitiam hujus adparitionis venit, intelligendi stationarii, & qui se illis adsociaverant. 10. Populus tempore suffitus ex spatio, quod inter vestibulum & altare suffitus intercedebat, secedebat. 11. Dum ita secederet populus, preces suas precibus sacerdotis adolentis jungebat, quæ cujus generis fuerint, investigatur. 12. Populus intellexit, insoliti quid obtigisse Zachariæ, quoniam diutius justo in templo morabatur. 13. Proferuntur rationes, quare adparitio hæc Zachariæ in templo fuerit facta, & quidem cum in adolendo suffitu esset occupatus.

§. I.

Sanctus LUCAS, qui in Euangelio suo in rebus a Christo gestis enarrandis multam ἀκρίβειαν est sectatus, hujus sui studii in descriptione conceptionis & nativitatis Joannis, anteambulonis Jesu, quam suis περιστάσεσι multa cura vestivit, luculentum specimen dedit. Scilicet cum ipsius parens sacris in templo operaretur, atque precibus intentus esset, præter omnem opinionem se conspiciendum ipsi dedit angelus domini, ad cujus conspectum initio quidem animo exturbatus ac metu perculsus; verum enim vero cum is ipsum verbis blandis compellaret, ad se, timore omni posito, rediit, ac ipsius eloquia mente composita excepit, nuntiantis, optimum numen precibus ipsius adnuere, & futurum, ut ipsi, seni licet, ex conjuge effoeta, & ad pariendum inepta, mascula proles progigneretur, cujus vitæ

rationem & munus, quale illud futurum esset, diserte exponit. Historia hæc adeo memorabilis est, & persona Joannis ita insignis, ut attentionem lectoris ultro provocet, cui præterea ex antiquitatibus judaicis lux egregia adfundi potest. Adparitionem hanc angeli, factam Zachariæ, quoniam brevi commentatione in præsentia illustrare est animus, considerabimus (I.) adparitionem angeli, visi Zachariæ in templo v. 8. seqq. (II) consequens illius, qua via hæc visio angeli populo manifesta fuerit facta.

§. II.

Adparitionem hanc non nude describit factam fuisse in templo, sed speciatim tempus designat, quo Zachariæ contigerit. Sc. more tum temporis receptum erat, ut, quoniam plures numero sacerdotum classem constituebant, quæ per singulas septimanas sacris in templo operabatur, quo omnia justo ordine procederent, ac confusio evitaretur, sortito singulis suum peculiare munus adsignaretur. Ex omnibus autem sacerdotii muniis munus aromata in templo accendendi sacratissimum ac præcellentissimum habebatur, quocum singularem numinis favorem conjunctum spe vana sibi persuadebant, quod nec. dissertatione de *sacerdote ex suffitus ministerio non divite*, quæ *obs. sacr. p.* 71–94. habetur, demonstratum dedi. Quare cum circa omnia ministeria sacerdotii sortitio quotidie instituenda esset, etiam hæc ipsa circa suffitus negotium obtinuit: quinimo dictitant Judæorum Magistri bis singulis diebus, mane & vesperi, novos sacerdotes, suffitui adolendo destinandos, per sortem delectos fuisse.

Adpa-

Adparet hinc, Zachariam, quod Patribus pluribus, & ex recentioribus quibusdam est visum, non fuisse pontificem maximum, sed sacerdotem gregarium, ipsumque munere hoc suo non in templi adyto, sed sancto esse functum, quo de aliqua in medium produxi in exercit. *de eo, num sollemnis expiationum dies sub templo* II. *fuerit celebratus?* §. 2. Quare Zacharias, cum sors ipsum tetigisset, ut officio se suo exsolveret, templum est ingressus (x). Prunæ ardentes, inservituræ suffitui accendendo, ex altari holocaustorum decerpebantur.

Ad accuratiorem hujus cognitionem, quædam ex Magistrorum δευτερώσεσι repetere juvabit. Per ναὸν illam templi partem intelligimus, in qua sacerdotibus, ut panes propositionum adponerent ac removerent, lucernas aptarent & incenderent, cineres ab altari aureo removerent & suffitum adolerent, versari licebat. Quare cum ex legibus ac constitionibus sacerdotii suffitum in altari aureo parare ac incendere deberet, in sacram hanc ædem ex atrio sacerdotum per pronaon se immi-

(x) Mirari non possumus satis; virum in Ebræorum antiquitatibus versatissimum, JO. BENED. CARPZOVIUM, diss. *de eo, quo arca pervenerit*, c. II. §. 10. disput. academic. p. 82. opinioni de ingressu Zachariæ in sanctum sanctorum subscribere potuisse, ac ejusdem munia multiplicasse. *Ingressus est Zacharias*, inquit, *in templum Domini*, h. e. *sanctum*, *inibique debito modo sacra peregit*, *inde* NB. *in sanctum sanctorum progressus*, *odores incendit*; *post regressus rursum coram thymiamatis altari preces ad Deum fundebat.* Uti omnia, quæ LUCAS de Zacharia narrat, clamitant, ipsum sacerdotem maximum haut fuisse, ita ne vestigium quidem in tota hac historia animadvertitur, ipsum sacris & prope altare aureum, & in adyto litavisse.

immisit Ingressum hunc simpliciter enarrasse, historico sacro ad scopum suum sufficiebat. Ingrediebatur autem, *ut suffitum incenderet*, quare aromatibus & prunis ardentibus ipsum instructum esse oportuit. Quod ipsum, uti rei natura postulat, ita doctores mischnici distinctius declarant. Ignis peregrinus, ex altari holocaustorum non depromtus Levit. X. 1. 2. Num. III. 4. in ædem sacram inferri non debebat, quod uti toto illo tempore, quo templum primum stetit, fuit observatum, ita sub secundo adhuc viguit. Tradunt quippe, sacerdotum aliquem ad altare exterius se contulisse, atque ex media ignis strue carbones vivos decerpsisse, inque thuribus primo quidem argenteum, post aureum immisisse. Verba super hac re in cod, *Samid.* c. V. §. 5. sunt:

מי שזכה במחתה נטל מחתת הכסף ועלה לראש המזבח ופנה את הגחלים הילך והילך וחתה מן המאכלות הפנימיות ירד ועירן לתוך של זהב. Id tantum est notandum, die expiationum sollemni uno tantum πυρεῖα, eoque aureo usos fuisso. Ad hæc BARTENORIUS observat, officium prunas decerpendi non sortitione concessum, sed ad illius, cui suffiendi provincia obtigerat, rogatum præstitum fuisse: unde ex nonnullorum sententia ab uno eodemque utrumque munus suscipi potuit, vid. BRAUNIUS *selectt. sacr.* p. 220. IKENIUS *ad Tamid.* p. 101. Qui jam muneri huic se addixerat, templum ingrediebatur, inque altari suffitus carbones ardentes excutiebat, eosdemque per totam altaris superficiem expandebat, & id quidem eum in finem, quo thus immittendum facilius ignem concipere posset, minus acerram prunis plenam

in

in illo, quod quibusdam est visum, deponebat: מי שזכה במחתה צבר את הגחלים ע'נ המזבח ורדדן (SURENHUSIUS legit מרדדן, sensu eodem manente) בשולי המחתה, *cui obtigerat thuribulum, congerebat prunas in superficie altaris, & expandebat illas extremitate thuribuli*, TAMID. c. VI. §. 2.

§. III.

Posteaquam ita prunæ in altari dispositæ erant, succedebat is, cui sorte munus aromata succendendi obvenerat. Is habebat vasculum aureum, talmudicis בזך item בזיך & בזיכה dictitatum; aromatibus plenum, quod alteri majori vasi כף, a forma sua adpellato, inclusum erat. De utroque ita Mischnici: מי שזכה בקטרת היה נוטל את הכף דומה לתקרב גדול של זהב, מחזיק שלשת קבים, והבזך היה בתוכו מלא וגדוש קטרת, וכסוי היה לו וכמין מטוטלת היה עליו מלמעלן *cui obtigerat suffitus, sumebat vas, quod simile erat majori modio aureo, continenti tres cabos, & patera erat in medio ejus impleta & adcumulata suffitu, operculum habebat, & Ubteum quoddam superne impositum erat*, TAMID. c. V. §. 4. Quod discrimen inter utrumque vas fuerit, quæ utriusque forma, prolixius disputant viri antiquitatum Ebraicarum peritissimi, BRAUNIUS *selett. sacr.* p. 211–225. RELANDUS *de spoliis templi secundi* p. 102–122. In negotio autem suffiendi multa cautione ac circumspectione opus erat: ideo Magistri præcipiunt, non debuisse initium spargendi suffitus facere in loco altaris, cui pro-

xime adstabat, ne, si in flammam raperetur, manibus atque brachiis illius ab erumpente igne damnum aliquod inferretur. Nec tamen ante opus adgrediebatur, quam a præfecto monitus esset: & quandoquidem semper novi, qui sc. suffitum nondum adoleverant, muneri huic destinabantur, de modo, aromata super prunas spargendi, instruendi erant: מלמדין אותו הוי זהיר שמא התחיל לפניך שלא תכוה TAMID. c. VI. §. 3. Quæ MAIMONIDES ita declarat: *hunc igitur, cujus erat officium suffimentum, ita monebant: cave, ne primum incendas suffimenti id, quod est ante conspectum tuum, ne usu veniat, ut uraris; cum ille suffimentum incipiebat super ignem projicere: leniter pro more & modo cribrantis similam usque adeo, donec suffimento erat constratus ignis, de sacrif. jugibus* c. III. §. 8.

§. IV.

Suffitus hic fiebat in altari aureo, de cujus situ ut paucula in medium adducamus, ab instituto nostro alienum non erit. Positum illud erat in secunda templi parte, quæ Ebræis היכל/ Græcis ναὸς dicitur, una cum *candelabro aureo & mensa panum propositionum.* Situs illius in tabernaculo Exod. XXX. 6. ita definitur, *& ponas illud* (altare suffitus) *ante velum, quod est ante arcam testimonii, ante propitiatorium, quod est super testimonium.* Hinc intelligimus, altare suffitus recta linea positum fuisse ratione arcæ foederis, quo sensu vox לפנים passim in sacris litteris sumitur, & recte vertitur per *e regione*, & ἀπέναντι apud LXX. interpretes. Ne quis autem in illam

lam ingrediatur opinionem, altare e regione arcæ foederis proximius locatum fuisse, ut nihil medii inter utrumque fuerit, sapienter addit, לפני הפרכת *ante*; *e regione veli*, quod penetrali interiori oppansum erat, post quod arca foederis delitescebat. Atque ita cum hoc nostro loco amice conspirat ille, quem habemus c. XL. ʃ. *& ponas altare aureum suffitus ante*, sive *e regione arcæ testimonii*, sc. non proxime, sed intercedente velo, quare confestim additur, *& adponas tegumentum*, sive *velum ostio tabernaculi*. Quod ipsum ABARBANEL optime est adsecutus, qui ad verba superiora notavit, להגיד שינחו את המזבח הזה בהיכל הקדש מחוץ לפרוכת באמצע רוחב האהל / *ut significaretur, ponerent altare hoc in templo, sancto, extra velum, in medio latitudinis tentorii.* sc. tabernaculum latum *erat* 10. *cubitos*, illius medium occupavit altare suffitus, cujus latus ab altera parte candelabrum aureum, ab altera mensa panum propositionis claudebat. Quando igitur altare suffitus non longe ab introitu sancti sanctorum constitutum erat, sicque recta e regione arcæ foederis locum suum habebat, quod non æque de candelabro & mensa panum propositionis dici potest, illud his sanctius habebatur, quod ante laudatus ABARBANEL his innuit verbis: ולכך היה ראוי שיהיה מזבח הקטרת יותר מקודש מהשולחן ומה מנורה שאינם באותו כיון ונוכחיות לפ׳ / *ideo conveniens fuit, ut altare suffitus sanctius haberetur mensa & candelabro, quæ non æque recta linea opposita erant velo.* Inter mensam panum propositionis & candelabrum aureum altari suffitus locum in tabernaculo

 datum

datum esse, JOSEPHUS etiam adseverat: μεταξυ δε αυτης κ̀ τ̃ τραπεζης ενδον, ως ϖροειπον, θυμιατηριον ξυλινον μεν A. J. L. III. c. 7. In templo Salomoneo, quod juxta typum tabernaculi, nisi quod omnia majori magnificentia ac pompa instructa essent, fabricatum erat, eundem altaris suffitus situm obtinuisse, dubium est nullum. JOSEPHUM hic rursum a partibus nostris habemus, qui diserte adfirmat, altare suffitus eundem, quem in tabernaculo, locum occupavisse. En ipsius verba: την δε λυχνιαν κ̀ την τραπεζαν, κ̀ τ̀ βωμον τ̀ χρυσεον ισησαν εν τῳ ναῳ προ τ̃ αδυτυ, κατα τυς αυτυς τοπυς, υς κ̀ τοτε εν τη σκηνη κειμενοι κατειχον, A. J. L. VIII. c. 2. Ipsum hoc de templo Serubabelico est dicendum, quo de MAIMONIDES: *candelabrum erat in australi parte situm ad sinistram introeuntis, & ad dextram mensa, cui panis propositionis imponebatur: atque hæc duo extra sanctum sanctorum ad latus ejus sita sunt: &* ALTARE SUFFIMENTORUM *item est extra sanctum sanctorum, inter hæc duo interjectum, de domo electa* c. I. §. 7. Porro idem situm sequentibus verbis determinat: *altare suffimentorum in longitudinem & in latitudinem patebat, omnino cubitum unum. Id in templo situm erat inter septentrionem & meridiem, & sic erat inter candelabrum & mensam, ut totum excederet, aliquanto magis ad orientem, versus portam templi protractum*, ea forsitan de caussa, ne per illud introitus ad sanctum sanctorum impediretur. Sunt, qui censent, altare suffitus magis versus velum interius protractum fuisse, quos erroris arguit DASSOVIUS diss. *de imag. rerum ebræarum*, quam quibusdam adnotationibus illustratam recu-

den-

dendam curavit cel. GERDESIUS, *miscell. Groening.* T. IV. fasc. 3. p. 436. 437.

§. V.

In hoc altari quotidie bis mane & vesperi adolebatur, & illud quidem non exigua, sed satis insigni copia, quæ *centum denariorum pondus* æquabat, atque ita dividebatur, ut dimidia pars 50. sc. denariorum pondus mane, ac totidem vesperi in carbones altaris spargeretur ac absumeretur MAIMONIDES de *sacrif. jug.* c. III. §. 2. conf. JAC. MEJERUS diss. de *suffitu* §. 50. p. 88–90. Qui suffitus, tanta copia accensus, quandoquidem ex aromatibus fragrantissimis parabatur, fieri sane aliter non potuit, quin fumus inde adscendens totam ædem sacram repleverit, & odorem suavissimum exhalaverit. Idem ille rationem physicam adducit, quare suavissimi odoris aromata, & quidem bis per diem fuerint incensa, quo ita ingratus odor, qui ex carnibus mactatis ac igne combustis provenerit, temperaretur, & illius loco gratior odor excitaretur, ac ille ipsis operantium in templo vestibus adhæreret. In hunc hac super re loquitur modum:

וכאשר היו שוחטים במקום המקודש בהמות רבות בכל יום ומחתכין בו הבשר ושורפין ורוחצין בו הקרב והכר עים אין ספק שאלו היו מניחים אותו על זה הענין היה ריחו כריח מקומות הבשר מפני זה צוה להקטיר בו הקטורת שתי פעמים בכל יום בבקר ובין הערבים להיטיב וריח בגדי כל העובד כו

More nevoch. P. III. c. 45. p. m. 172. col. I. Equidem ratio hæc ingeniose excogitata videtur,

& quandoquidem Deus in actionibus & legibus suis pro summa sua sapientia diversos fines sibi proponere potuit, non pugnat, Deum sibi repræsentavisse finem aliquem, qui ex ipsa rei indole proxime sequebatur, quique inde ad primarium finem, quem sensus typicus efficit, fuit directus. Sed tamen in omnibus illis finibus, qui divinæ menti obversari potuerunt, nexus cum reliquis spectari debet, qualis hic desideratur. Quare R. BECHAI ad leg. fol. 115. col. 3. rationem hanc *infirmam* adpellat, quem in eo sequitur ABARBANEL *in proph. prior.* p. 227. col. 4. qui simul graves obmovet difficultates. Verba ipsius in latinum conversa idioma dabimus *necesse non fuit, illum* (suffitum) *incendere in sancto sanctorum die expiationis, quoniam ibi odor carnis locum habere non potuit: potius necessitas, ut succenderetur in atrio, ibi quippe offerebantur victimæ, minime in templo* (sancto), *aut adyto. Quare igitur non paratus est in atrio?* Rationes suas ita subducit. Si suffitus eum in finem est paratus, ut ingratus odor pelleretur, gratus contra excitaretur, illum fieri non debuisse in sancto, nec die expiationum sollemni in sancto sanctorum, sed potius, in atrio, in quo victimæ mactabantur, viscera & carnes ab ingluvie purgabantur, tandemque igne in altari concremabantur. Quæ argumentatio, me quidem judice, non est inepta. Addo, & tabernaculum & templum undique fuisse clausum & obseptum, ut hinc odor suffitus extra illud se minus diffundere, nec effectum illum in libero aëre producere potuerit. In sententiam quidem Maimonidis concedit JO. BAPTISTA OTTIUS biblioth. brem. cl. II. fasc. 3. p. 527. 528. Sed is vel maxime respicit accen-

censionem thuris, quæ fiebat in altari holocaustorum, cum contra MAIMONIDES loquatur de suffitu, qui quotidie bis in templo, & semel per annum in interiori penetrali adolebatur. Thus enim, quod fertis addebatur, & salem, quem nonnulli sodomiticum habent, quo carnes dissectæ, jamque cremandæ, conspersæ fuerunt, ad tetrum odorem temperandum & pellendum plurimum fecisse, probabile est admodum.

§. VI.

Quando autem suffitus quotidie bis adolebatur mane & vesperi Exod. XXX. 7. 8. quæritur, num angelus mane an vesperi se Zachariæ videndum dederit? Dissentiunt hic interpretes. GROTIUS *matutini*, SCULTETUS exercit. Euangel. L. I. c. 9. *vespertini* suffitus tempus nominant, WITSIUS *Miscell. sacr.* T. II. p. 487. 488. judicium suspendere tutius judicavit. Non multum quidem refert, utri quis sententiæ calculum suum adjiciat, omnibus tamen perpensis, probabilior mihi videtur posterior esse sententia. Rationes sunt (*α*) quia quidam doctorum judaicorum suffitui vespertino prærogativam aliquam præ matutino adsignant: saltim hæc est sententia BECHAI, adfirmantis, ידוע כי ריח הקטרת נודף באחד ית היום יותר מקטרת של בקר ועל זה אמר הכתוב תכון תפילתי קטרת לפניך / *notum est, quod odor suffitus in extremo diei* (vesperi) *se magis diffundat, quam suffitus matutini, propterea scriptura dicit* (Ps. CXLI. 2.) *aptetur oratio mea suffitus instar coram te, elevatio manuum mearum sit tanquam oblatio vespertina, comment. in legem* fol. 115.

115. col. 3. Prior ratio num satis stringat, viderint alii, nisi quis dicat, tempore vespertino, ubi nimius æstus restinguitur & dies tepescit, aërem condensari, sicque odorem acriorem reddi. Magis placet posterior ex hieropsalte petita, quoniam orationem suam confert cum oblatione vespertina. (β) Quoniam stante hac sententia, inter adparitionem angeli Gabriëlis, factam Daniëli precanti, & hanc, quæ Zachariæ est oblata, ratione temporis accuratus consensus monstrari potest. Uti enim ille vespertino tempore, quo quondam in templo agnus mactabatur & odores accendebantur, Daniëli adparens, illi significavit, preces ipsius auditas esse c. IX. 21. ita a veritate alienum non est, eundem, dum suffitum vespertinum pararet Zacharias, certiorem reddidisse Joannis parentem, Deum ipsius precibus adnuere. Et uti illi significavit tempus, quod ad manifestationem Messiæ usque lapsurum esset, ita huic ostendit tempus instare, quo proditurus esset is, qui Messiæ viam planam sterneret. Huic nostræ sententiæ de suffitu vespertino contrarium esse videtur id, quod MAIMONIDES apud HANERUM diss. *de ritu benedictionis sacerdot.* c. II. §. 51. tradit. *In templo sacerdotes semel de die recitant benedictionem post sacrificium juge, idque matutinum. Veniunt & stant super gradibus porticus, & benedicunt eo, quo diximus, modo, ast extra templum recitant eam post omnes preces, excepta mincha, sive precatione vespertina, ut diximus.* Verum si sacerdos maximus, finitis sacris omnibus, in die expiationis benedictionem pronuntiavit post juge sacrificium vespertinum, in eo autem convenientia quædam cum benedictione a sacerdote gregario instituta, fuit animadversa, negari

negari nequit, suffitui ac precibus vespertinis benedictionem a sacerdote additam fuisse.

§. VII.

Huic igitur altari dum adsisteret Zacharias & forsitan, peracto ministerio suo, discessum e templo meditaretur, angelus se illi præter omnem opinionem conspiciendum dedit, *stans ad dextram altaris suffitus*, forte ad prominentiam, sive cornu illius. Ex hoc angeli positu Zachariam fausti quid & auspicati, cum dextra Symbolum felicitatis fuerit habita, sibi augurari potuisse, conjicit GROTIUS, quem sequitur WITSIUS. Non tamen credibile est, hunc illi se confestim stitisse, sed vero est propius, ex sancto sanctorum prodiisse, adeo ut Zacharias, qui vultum versus illud conversum habebat, eundem suis tuitus sit oculis. Ex adyto Deus olim ediderat oracula, & licet templum posterius hac careret prærogativa, in spe tamen erant, futurum, ut illa aliquando restitueretur: quare eo minus de divina hujus angeli missione dubitare poterat. Et quoniam sanctum sanctorum undique erat clausum, nec ad illud mortalium ulli, præter sacerdotem maximum, aditus patebat, fraudem nullam subesse, facile judicare poterat. Vocem aliquando מבית קדשי הקדשים *sancta sanctorum* ad Simeonem justum delatam, ab eodemque probe intellectam fuisse, memoratur in *megillat taanit*. c. XI. p. 81. edit. Meier. A sacerdotibus, in templo sacris operantibus, aliquando voces fuisse auditas, iisdemque visiones obtigisse, perhibent Judæorum doctores. Και τουτο προελθων ἐκ του ναου, παντι τῳ πληθει, φανε-

φανερον ἐποιησε JOSEPHUS A. J. L. XIII. c. 18. quæ historia cum nostra similitudinis multum habet. Hyrcanum inter adolendum in templo vocem audivisse, idem JOSEPHUS est auctor, αὐτος ἐν τῳ ναῳ θυμιων, μονος ὢν ὁ ἀρχιερευς ἀκουσαι — φωνης. Sacerdoti suffitum facienti, visionem divinam aliquando oblatam fuisse, ex cap. I. Berachot notat SCALIGER *canon. isagog.* p. 299. quem etiam excitat DRUSIUS ad Luc. I. 11. ubi loci de R. *Ismaële filio Elisa* refertur, שראה השכינה כשה קטיר *vidisse Schechinam cum adoleret.* Hujus rei nullam plane mentionem facit WOLFIUS, licet de Ismaële hoc in bibliotheca Ebræa passim agat, RELANDUS ad OTTONIS *historiam doctorum mischnicorum* ex Judæorum traditionibus refert, *angelorum colloquiis frequenter usum fuisse*, *biblioth. Ebr.* Vol. IV. p. 407. Verba illa, quæ sacerdotibus, in festo pentecostali sacris litantibus, audita sunt: μεταβαινωμεν ἐντευθεν JOSEPH. de B. J. L. VII. c. 31. ex adyto prorupisse, admodum est probabile. Exempla hæc eum tantum in finem proferuntur, quo adpareat, communem Judæorum illa tempestate persuasionem fuisse, sacerdotibus in templo haut raro insoliti quid contingere. Angelus hic ex adyto procedens, quod etiam LIGHTFOOTUS ad Luc. I. 11. opp. T. II. p. 490. sine dubio splendida quadam ac lucida forma, qua alias spiritus hi sancti conspiciebantur, adparuit, quæ sua luce oculos sacerdotis feriit, & propter splendorem, quem candelabrum, ex adverso positum, præbebat, adhuc magis animadverti potuit. Formam illius ad speciem hominis quam proxime accessisse, non est quod dubitemus. Ineptum igitur est & detestandum, quod, EPIPHANIO teste,

teste, advers. haeres. Opp. T. I. p. 94. in libro *de progenie Mariæ* commenti sunt Manichæi, vidisse Zachariam ἐν τῃ ὡρᾳ τῃ θυμιαματ☉ τινα ἑςῶτα ἐν τῳ ναῳ, ἀνθρωπον ἰςωτα ὀνε μορφην ἐχοντα. Subscribimus omnino judicio MONTACUTII, censentis *absurdissimam blasphemiam impuros nebulones a paganorum scriptis interpolatam derivasse.* Nominato hinc Tacito, ad primum fabulæ fontem regreditur, a Græcis nugivendulis in Judæorum opprobrium effictam fuisse. PHOTIUS certe in excerptis *Diodori Siculi* notat, ipsum perhibere *Antiochum Epiphanem*, ingressum sanctorum, in illo invenisse λιθινον ἀγαλμα ἀνδρ☉ βαθυπωγων☉, καθημενον ἐπ᾽ ὀνυ, κατα χειρας ἐχων βιβλιον, *biblioth.* p. 1149. Attigit etiam fabulam JO. FRIDER. MIEGIUS diss. de stemmate Christi davidico, *miscell. Duisburg.* Vol. II. fasc. 2. p. 103.

§. VIII.

Angelus hic nomine *Gabrielis* se insignit v. 19. Compositum illud est ex גבר *vir* & אל *Deus*, adeo ut י insertum sit paragogicum, quod etiam alias nomina propria ingreditur, ut in אחימלך. אבימלך/ Denotat igitur *virum Dei*, qui nomine Dei legationem ad homines obit, eumque in finem hominis, viri dignitate & robore conspicui, formam induit, quorsum forsitan alluditur, ubi de ipso pronuntiatur *coram*, in conspectu Danielis constitisse כמראה איש *specie viri* Dan. VIII. 15. De hoc quæritur inter Theologos, num spiritus *creatus*, an *increatus* fuerit, quorum alii priorem, posteriorem alii tuentur sententiam. Posteriori-

rioribus, ut alios præteream, se adjungit B. LAMPIUS *in Psalm.* XLV. p. 116. qui quod hoc in loco digito tantum indicaverat, argumentis comprobat, & objectiones, quæ fieri possunt, diluit, *diss. philolog. theolog.* Vol. II. p. 38. seqq. Nostrum non est, definire, quæ harum sententiarum argumentorum pondere prævaleat: maxime cum ex præsenti loco non ita clare eluceat, personam aliquam divinam intelligendam esse. Sed utcumque sit, id tamen est dicendum, ita eundem nobis describi, ut si per illum angelus creatus intelligendus, primæ ac præcipuæ dignitatis angelus sit concipiendus. De se ipso pronuntiat, ἐγω εἰμι Γαβριηλ ὁ παρεστηκως ἐνωπιον Θεȣ v. 19. Ministrorum esse stare ac dominorum suorum mandata excipere, promtissimeque exsequi satis est notum, quod ipsum PRICAEUS ex sacris pariter atque profanis auctoribus probatum dedit. Hoc igitur ab angelis bonis, tanquam ministris Dei Ps. CIV. 4. uti alienum non est, ita servorum instar solium Dei circumsistunt Dan. VII. 10. ita phrasis hæc aliquando speciatim restringitur ad ministros regios primæ dignitatis ac intimioris admissionis, qui ab aulis regiis fere non discedunt, regique semper consiliis suis præsto adsunt. Phrasis παριςαναι ἐνωπιον τιν☉, judice GROTIO, ab aulis regum orientalium est petita, quorum primi status administri in sede regia continuo fere versantur, aulæ quasi adfixi. Hoc ipsum de Daniele dicitur, ipsum ab rege Nebucadnezare petiisse, ut reditibus regiis provinciarum Babelis præficerentur Schadrachus, Meschachus & Abed-Nego, ipse autem in *porta regis esset* Dan. II. 49. primus status administer, reliquis satrapis præpositus, in aula Nebucadne-

zaris

taris continuo commoraretur, eidemque consilio ac prudentia sua adesset. Ex quibus prono alveo fluit, Gabrielem, si etiam ex creatorum angelorum numero fuit, hos tamen multis parasangis superavisse. Hujus equidem in sacris non adeo crebra occurrit mentio, sed quoties illius injicitur mentio, tamquam eximius Dei legatus nobis repræsentatur, & quotiescumque adparuit, res gravis momenti, quæ in solatium ac salutem ecclesiæ spectabant, significavit. Danieli eum in finem iterum atque iterum se stitit c. VIII. 16. seqq. IX. 21. seqq. X. 11. seqq. In N. T. bis legimus, ipsum se conspiciendum dedisse, primum Zachariæ in præsenti loco, secundum Mariæ Luc. I. 26. Qui ubi Danieli præsignificavit tempus nascituri Messiæ, nunc autem Zachariæ nativitatem Joannis, anteambulonis ipsius, & Mariam certam esse jussit, redemtorem humani generis, extraordinario quodam modo ex ipsa proditurum esse. Animum utriusque adrexisse judicat GROTIUS, ad ea studiosius meditanda, quæ olim Danieli prænuntiata fuerint, indeque confirmatos fuisse, Deum potentia sua ineluctabili efficere posse, quæ per eundem Gabrielem dudum ante promiserit.

§. IX.

Quo tempore vero Zacharias suffitui adolendo intentus erat, populus precibus vacabat, καὶ πᾶν πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον ἔξω τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος v. 10. Quando sacer scriptor nominat *omnem populi multitudinem*, procul dubio in illam populi turbam digitum intendit, quæ nomine totius populi in publicis sacris adsistebat,

personam totius *populi* repræsentans. Cum enim secundum legem Mosaicam unusquisque, victimam oblaturus, *illam* adducere, ac mactationi ejusdem adesse deberet, ubi sacra pro integro populo fierent, quoniam hic omnis se præsentem sistere nequibat, justum esse censebant, ut ex toto populo quidam constituerentur, quibus hoc datum erat negotii, ut sacrificiis & precibus nomine fratrum suorum adessent. Hi quoniam certas vices obibant אנשי המעמד *viri stationis*, sive *stationarii*, & absolute מעמד *statio* dicebantur: quo tamen ipso nomine simul sacerdotes & Levitæ, qui ipso illo tempore ministerio suo fungebantur, comprehenduntur, quibus qui præerat, ראש המעמד *caput stationis* adpellabatur. Quemadmodum vero sacerdotes & Levitæ in 24. classes divisi erant, quarum quæque Hierosolymis per septimanam suo munere fungi debebat, ita etiam totus populus Israëliticus in totidem ordines erat divisus, quorum singuli suis temporibus Hierosolymis comparere ac caussam tribulium suorum agere tenebantur. Quoniam autem singulæ classes ingentem admodum hominum numerum efficiebant, qui ob multitudinem suam impedimento potius fuissent, alii ob nimiam locorum distantiam in urbem non ita facile commigrare poterant, illi, qui ex quaque classe Hierosolymis præsentes erant, vel non ita multum dissiti erant, promtos paratosque statis temporibus se sistebant, & quod nomine fratrum suorum agere ipsis incumbebat, libentes effectui dabant. Qui vero domi remanebant, illi in synagogis suis eodem tempore in scripturarum lectione & precibus occupabantur, sicque corpore absentes, animis, piis votis & sacris exercitationibus se cum fratribus suis conjungebant. Equidem

dem hujus instituti neque in lege, neque in prisci foederis libris ulla injicitur mentio, antiquam tamen esse dubitare vix licet. Mischnici doctores, itemque Maimonides illud a tempore Samuelis ac Davidis arcessunt. Plura qui de his scire satagit, adeat cod. תענית c. IV. §. 23. תמיד c. V. §. 6. MAIMONIDEM de *adparatu templi* c. VI. §. 1–7. LIGHTFOOTUM de Minist. templi c. VII. sect. 3. p. 700. 701. Opp. T. I. le MOYNE *var. sacr.* T. II. p. 40–42. Qui quoniam sacrificio jugi matutino pariter atque vespertino adesse, nec discedere debebant ante, quam totum illud sacrum peractum esset, iidemque omnem populum repraesentabant, LUCAS πᾶν πλῆθος τοῦ λαοῦ recte nominat. Accedit, cives hierosolymitanos se densis agminibus precatum ad templum recepisse. (*x*) Non igitur rationem solidam inde petit

(*x*) Doctiss. HAMMONDUS ad Luc. I, 10. probaturus, populum praesentem fuisse in atrio, dum sacerdos suffitum faceret, illius reditum exspectantem, ad Siracidis c. L. provocat, ubi narratur, qua ratione *Simeon*, Oniae filius, ministerio sacro operam dederit v. 32. Num hic ingressus P. M. suffitum incensuri, in sanctum sanctorum describatur, & an illum Siracides, quod Hammondus contendit, accurate descripserit, in dubio haeremus, nec ille satis perpendisse videtur ὀσμὴν εὐωδίας *thymiama grati odoris*, uti reddit, significare h. l. suffitum v. 15. (non 19.) pugnat enim cum proxime antecedentibus, in quibus nominatur σπονδεῖον, quod vas ad libandum aptum acceperit, indeque fuderit *sanguinem uvae*, vinum, illudque immiserit εἰς θεμέλια τοῦ θυσιαστηρίου: quo de effuso vino pronuntiat, fuisse ὀσμὴν εὐωδίας ὑψίστῳ παμβασιλεῖ. Exulat igitur suffitus. Ad haec SIRACIDES parum ἀκριβῶς in eo ostendit, ubi vinum ad fundamenta altaris effusum fuisse adfirmat, potius vasi cuidam infundebatur, quod ex argento confectum inter

petit CHEMNICIUS harmon. IV. Euang. p. 48. edit Hamb. 1704. quem in *bibliis illustrat.* ad h. l. sequitur CALOVIUS, suffitum hunc paratum fuisse sollemnitate quadam festiva, forte septimo anni mense.

§. X.

Hi non erant otiosi rerum, quæ in atrio & prope templum agebantur, spectatores, sed preces suas precibus sacerdotis jungebant, quod ipsum etiam de populo præsente pronuntiat LUCAS, παν το πληθος τȣ λαȣ ἠν προσευχομενον ἐξω τη ὡρα τȣ θυμιαματος v. 10. quæ verba SYRUS

occidentale ac septentrionale cornu medium positum erat, quodque, cum in extremitate sua aperturam haberet, per illam in altare defluebat, indeque in cavitatem ingentem, subjectam templo, quæ שית dicebatur, derivabatur. Vid. JO. ab HAMM de *ara suffitus* p. 152—160. DACHSIUS *in Succa* p. 394—405. IKENIUS in *Tamid.* p. 90. 91. 124. 125. Non tamen nego, Siracidem respicere ad sacrificium juge, paratum a sacerdote maximo, cui stanti prope altare membra victimæ ab aliis sacerdotibus porrigebantur, igne absumenda: cum interea sacerdotes & Levitæ tubis clangerent, & hymnos sacros concinerent. Conferri cum hoc Siracidis loco possunt ea, quæ habentur TAMID c. VII. §. 4. Possumus tamen ex iis, quæ Siracides tradit, aliquid in usum nostrum convertere. Multa sunt quæ suadent, sacrificium juge matutinum enarrari, ita tamen ut suffitus negotium tacitus prætermittat, ea vero tantum referat, quæ pontifex maximus prope altare exterius circa agnum matutinum peregerit. Rationem hujus nostræ sententiæ habemus, quoniam v. 12. seqq. narratur, qua ratione membra victimæ ab aliis Sacerdotibus acceperit, quæ post lignis altaris imposuit, igne absumenda. Quo facto,

RUS ita convertit, *& omnis congregatio populi precabatur foris tempore suffitus*, vocem ὥρᾳ per *tempus* recte exponens. Illud ἔξω referendum omnino est ad ναὸν *sanctum*, in quo Zacharias sacris operabatur. Levit. XVI. 17. præcipitur, *nemo sit in tentorio conventus, ingrediente ipso* (P. M.) *ad expiationem in sanctuario* procurandam. Sermo est de ingressu sacerdotis maximi in sollemni expiationis die. Sed enim etiam hoc ipsum obtinebat illo tempore, quo suffitus quotidianus in sancto parabatur, ubi enim præfectus dixerat, *adole*, פרשו העם *discedebat populus*, TAMID. c. VI. §. 3. Unde autem discesserit, docetur in cod. *Clin.*

facto, vinum eo modo, quo in supp. exposuimus fundebatur, sicque una cum benedictione sacro huic finis imponebatur. Antecesserunt autem in sacrificio matutino sanguinis sparsio & suffitus in templo. Hoc clare admodum traditur JOMA c. III. §. 4. קטרת של שחר היתה קריבה בין דם ואיברים של בין הערבים בין איברים . ובסכים *suffitus matutinus incendebatur inter sanguinem & membra, vespertinus inter membra & libamina.* Quocum accurate consentit PHILO de animalibus sacrificio idoneis p. 836. δὶς δὲ καθ' ἡμέραν ἐπιθυμιᾶσθαι τὸ πάντων εὐωδέστατον θυμιαμάτων εἴσω τοῦ καταπετάσματος, ἀνίσχοντος ἡλίου καὶ δυομένου πρό τε τῆς ἑωθινῆς θυσίας καὶ μετὰ τὴν ἑσπερινήν, *bis etiam singulis diebus intra velum adoleri lege definitum est, oriente* nim. *& occidente sole, ante matutinum & post vespertinum sacrificium.* Sensus est, adspersionem sanguinis & membrorum animantis in altari combustionem se proxime excepisse, sed medium intercessisse suffitum. Hoc posito, quæ Siracides de populi præsentia, illius precibus ac benedictione, a P. M. impertita narrat, cum talmudistarum διατηρήσει facile conciliari possunt.

Clim. c. I. §. 9. ופורשין מבין האולם ולמזבח בשעת הקטרת *secedebat ex spatio*, quod erat *inter porticum & altare tempore suffitus*. Quod hic de secessu populi dicitur, id Judæorum doctores, vel maxime MAIMONIDES & BARTENORA, de *populo sacerdotali*, multitudine sacerdotum accipi volunt. Porro inter suffitum quotidianum & anniversarium constituunt, ubi suffitus quotidianus fiebat, ex loco inter porticum & altare exterius sc. intermedio, ubi anniversarius, ex templi palatio tantum discedere obstrictos fuisse, quoniam pontifex in loco sacratissimo, adyto versans, satis occultatus fuerit. Sed ratio est nulla, quare vocem עם ad solos restringamus sacerdotes, lege quippe cautum erat, ne quis ex populo templum, sanctum, ingrederetur, in eodemque versaretur, quare necessum non erat, ut hoc de novo interdiceretur. Ipsi illi, quos excitavimus, sibi non constare videntur. MAIMONIDES de sacrif. jugibus c. III. §. 3. ita mentem suam explicat: *cum incendebatur suffimentum in templo, ab eo amovebatur populus omnis: Et neminem inter vestibulum & altare versari fas erat, donec is, qui suffitum adolebat, templo egressus esset.* Ubi nominat populum omnem, neque cuiquam tempore suffitus intra porticum & altare subsistere integrum fuisse adfirmat, solos sacerdotes in oculis habere non potuit. In eundem modum loquitur BARTENORIUS: כל העם פורשים מבין האולם ולמזבח ואין צריך לומר מן ההיכל *omnis populus secedebat ex loco inter vestibulum & altare*, (addimus, etiam ex atrio sacerdotum) *nec necesse erat dicere ex templo*, quoniam satis constabat, illius aditu populum prohibitum esse.

esse. Sic igitur δευτερώσεις Magistrorum cum narratione LUCAE, testantis, populum ἔξω fuisse, accuratissime conspirant. Ea vero de caussa populus removebatur, ne strepitus ullus excitaretur, sicque sacerdos in suffitus ministerio ac precibus turbaretur, quod silentium adeo necessarium habebatur, ut, autumantibus doctoribus gemaricis, illud ad expianda peccata, clanculum lingua maledica commissa, multum fecerit, vid BRAUNIUS *select. sacr.* p. 176-178. DEYLINGIUS *observat. sacr.* P. III. p. 439. 440. Ad hoc silentium Apoc. VIII. 1. adludi, ubi nominatur *silentium semihorii*, sententia est HAMMONDI, itemque BRAUNII, quam tamen hic loci non æque locum habere posse, docet B. VITRINGA ad Apocal. p. 426. seqq. Hoc etiam silentium hunc populo usum præstitit, ut preces in sacro silentio, convocatis omnibus animi sui cogitationibus ac desideriis, fundere potuerit, hinc dicitur, τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ ἦν προσευχόμενον.

§. XI.

Ipse Zacharias, adstans altari, suffitui addebat preces, quod ipsum inde patescit, quoniam angelus adparens, ipsi dixit, εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου. Sacerdotem summum suffitu in adyto die expiationis sollemni adparato, dum inde egrederetur, orationem, eandemque brevem concepisse, traditur in cod. JOMA c. V. §. 1. מתפלל תפילה קצרה בבית חיצון ולא היה מאריך בתפילתו. *precatus est orationem brevem in domo exteriori, nec longus fuit in precibus suis.* Si verum est, quod MAIMONIDES & BARTENORIUS de ar-

gumento precum harum in medium adferunt, *oravisse pro pluvia tempestiva, pro conservatione regni, pro sustentatione populi judaici*, prodit animum bonorum spiritualium securum ac bonis externis tantum inhiantem. Non videntur hæ preces intentioni Dei ac foederi gratiæ (precum quippe, cum maxime publicarum, non primarium objectum bona externa & corporalia esse debent) convenire. Quales autem fuerint preces sacerdotis quotidianæ ob monumentorum defectum dici non potest. Credibile est, precibus suis numen solicitasse, ut peccatorum veniam sibi & populo indulgeret, ut Messiæ adventum acceleraret, se & hunc gratia, per illum adducenda, dignaretur, utque reipublicæ judaicæ statum in pristinum florem restitueret, ac auspicatum conservaret. Nec ratio nos destituit, ut dicamus, hæc precibus suis sacerdotem proposuisse, ubi precum formulas conferimus, quas pios Israëlitas tempore sacrificii matutini ad Deum direxisse, perhibent Judæorum doctores, repetitas a LIGHTFOOTO de *minist. templi hierosolym.* c. IX. sect. VI. Opp. T. I. p. 721. 722. In hunc modum Zachariam precatum esse, ut credamus, multa sunt, quæ suadent. Num præterea sobolem, & illam quidem masculam, sibi expetierit, dubium est, quoniam & ipse & conjux provectæ erant ætatis, ut talem spem concipere vix auderent, quare etiam signum, quo de promissione ab angelo facta certus redderetur, postulavit. Quando autem angelus illum compellavit, *preces tuæ auditæ sunt, & uxor tua Elisabeta pariet filium tibi*, rationes connexionis verborum horum interpretes investigare, inque apricum proferre adlaborarunt. Quidam horum, notante THEO-

PHY-

PHYLACTO, verba in hunc ſumunt ſenſum, non quidem pro filio precatum eſſe, ſed pro peccatis populi: angelum autem illi præſignificaſſe nativitatem filii, qui clamaturus eſſet, *ecce agnus ille Dei*! cetera. Hinc ſenſum verborum εἰσηκούσθη ἡ δέησις σου ὑπὲρ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν τοῦ λαοῦ, hunc eſſe volunt, υἱὸν γὰρ γεννήσεις δι᾽ οὗ ἀφέσεις ἔσται τῶν ἁμαρτιῶν. Quæ ſi de adnuntiatione remiſſionis peccatorum ſub conditione ſeriæ reſipiſcentiæ & fidei accipiantur, recte ſeſe habent: ſi de ipſa actuali peccatorum venia, obelo ſunt notanda, nec Joannes ſibi umquam illud adrogavit. Alii promiſſionem naſcituri, pro ſigno habent, peccati remiſſionem obtigiſſe populo, ὥστε ἀπὸ τοῦ γεννῆσαι τὴν Ἐλισάβετ, πιστευθήσεταί σοι, καὶ τὸ ἀφεθῆναι τὰς ἁμαρτίας τῷ λαῷ, *adeo ut per puerperium Eliſabetæ certa tibi fides præſtetur, peccata populo remiſſa eſſe*, *in* IV. *Euangel.* p. 300. 301. edit. Pariſ. a. 1635. Judæos in illa verſatos eſſe opinione, ſingularem numinis favorem ſuffitus miniſterio adhæſiſſe, in ſupp. notavimus. Inde per adcommodationem aliquam hoc elicit conſectarium BRAUNIUS *ſelect. ſacr.* p. 207. *divitiis maximis ditatum fuiſſe Zachariam, eo ipſo momento, quo obtulerit Deo ſuffitum.*

§. XII.

Progrediamur jam (II) ad id, qua via hæc adparitio angeli populo nota fuerit facta? Duplici via hanc ipſis innotuiſſe, ex LUCAE relatione adparet. *Primum*, quoniam diutius juſto in templo morabatur, in ſuſpicionem ſunt ingreſſi, aliquid ipſi obveniſſe, *ſecundo* in hac ipſa ſuſpicione ſunt confirmati, ubi ipſum e templo redeuntem,

ne verbum quidem proferre posse, cognoverunt v. 21. 22. Primum quod attinet, §. 11. monuimus, sacerdotem in precibus suis brevem fuisse, ratio haec additur, שלא להבעית את ישראל *ne Israëli metus incuteretur*, Juma. V. 1. Quodsi enim longiorem moram traheret pontifex in sanctuario, in metu versabantur, uti MAIMONIDES notavit, ne mors ipsi obvenisset, cum quidam pontifices mortui fuerint in sancto sanctorum, qui inepti ad tantum munus fuerint, vel in opere suffitus aliquid mutarint, provocans ad Levit. XVI. 2. 13. conf. BRAUNIUS *select. sacr.* p. 177. 178. Quae diximus, de mora quidem sacerdotis maximi in adyto die expiationum festivo sunt intelligenda, sed eadem erat ratio morae illius, quam nectebat sacerdos, suffitui ac precibus diurnis intentus. Quare LUCAS optime dicit, καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν τ Ζαχαρίαν, καὶ ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν αὐτον ἐν τῷ ναῷ v. 21. Exspectabant ipsum justo tempore rediturum, quando autem ultra illud emanebat, in ipsis admiratio, quid caussae esset, quare tamdiu reditum tardaret, est exorta, quae quoniam animo trepido ac anxio sibi repraesentabant, mali quid forsitan ipsi obtigisse, metum conjunctum habere potuit, ut hinc antecedens pro consequente ponatur. Ipsi autem singulare quid obvenisse, inde ulterius persuadebantur, quoniam linguam ipsius ita ligatam comperiebant, ut verba ore fundere non posset, ἐξελθὼν δὲ ὐκ ἠδύνατο λαλῆσαι v. 22. sc. ubi sacra in templo finivisset, antequam populus dimitteretur comitatus aliis sacerdotibus, qui pariter in ministeriis templi occupati fuerant, stans in gradibus pronai, benedictionis formulam, quae

Num.

Num. VI. 24. seqq. exstat, recitabat. Quæ de benedictionis pronuntiatione perhibent doctores mischnici, in sanctuario totam illam una serie, adeo ut populus ad illius segmenta non responderit *amen*, prolatam & nomen τετραγραμματὸν expressum fuisse, quod extra templum aliter se habuerit: וברכו את העם ברכה אחת אלא שבמדינה אומרים אותה שלש ברכות / ובמקדש ברכה אחת. במקדש היו אומרים את השם ככתבו ובמדינה בכנויו /. TAMID. c. VII. §. 2. Conferantur ea, quæ doctiss. HANERUS de *ritu benedictionis sacerdotalis* disputat. c. II. §. 51. seqq. Thes. theol. philol. Menthen. vol. II. p. 946. 947. In templo pronuntiavit sacerdos nomen יהוה secundum litteras suas, extra illud in ejus locum substituit אדני / ad quem locum interpretes judæi & Christiani conferri possunt. A nobis impetrare non possumus, quin, quæ de modo recitationis benedictionis refert. BECHAI, in medium adducamus: כה תברכו בנשיאות כפים / כה תברכו בלשון הקדש / כה תברכו בעמידה / כה תברכו בקול רם. כה תברכו פנים כנגד פנים. *ita benedicetis cum elevatione manuum, ita benedicetis, lingua sancta, ita benedicetis, in statione*, vel stando, *ita benedicetis, voce alta, ita benedicetis facie ad faciem conversa, comm. in leg.* p. 186. col. 2. Ex eo igitur, quando benedictionis formulam proferre non potuit, cognoscere quidem potuerunt, insolitum quid ipsi evenisse, sed quod visio eidem fuerit oblata, id proculdubio ex nutu, vel aliis signis externis, ab ipso editis, intellexerunt. Rationem mysticam, quare Zacharias mutus benedictionem proferre non potuerit, hanc

sup-

suppeditat CHEMNICIUS c. l. p. 51. quo sic constaret, brevi fore, ut *sacerdotium leviticum obmutesceret*. Quam ipsam sententiam etiam alii foverunt, a POLO nominati, & cui cum restrictione quadam pollicem premit SEB. SCHMIDIUS dissert. de *benedict. sacerdot.* p. 4. Sed notari velim, benedictionem non tam cultus ritualis, sive levitici esse partem, qui, introducta N. T. oeconomia, est abolitus, sed cultus moralis, qui aeternae est durationis. Ad haec benedictio Israëlitis non fuit impertita vi V. T. sed vi testamenti aeterni & foederis gratiae, ex quo bona omnia, quae ad justitiam & vitam aeternam spectabant, in fide praestolari poterant. Igitur dicere non possumus, obmutescentiam Zachariae sacerdotis fuisse signum obmutescentiae sive cessationis sacerdotii levitici. Uti benedictionem, i. e. bona necessaria & salutaria omni tempore per Christum, qui benedictio non Judaeis solum, verum etiam gentilibus futurus erat: ita multo magis eorundem participes fiunt, qui ad ipsum consummatum redemtorem confugiunt, cum ipsoque fide sancta arctissime conjunguntur. Nec pro certo dici potest, benedictionem, cum per Zachariam pronuntiari non posset, prorsus intermissam fuisse. Quod enim aliis in casibus usu obtinuit, id ipsum etiam hoc in negotio locum habuisse, multa cum probabilitate adseverari potest. Ubi sacerdos aliquis in sacro ministerio versabatur, nec ob inopinam mortem, vel alium casum, quo ineptus reddebatur, illud absolvere poterat, in illius locum alius, qui vicem ejus supplebat, succedebat.

§. XIII.

§. XIII.

Posteaquam igitur illa expedivimus, quæ ad historiæ hujus illustrationem aliquid facere judicavimus, nihil superesse videtur, quam ut in rationes inquiramus, quare visio hæc Zachariæ in templo fuerit oblata. Uti in omnibus Dei viis, quæ secundum ordinarias providentiæ ipsius leges procedunt, insignis conspicitur sapientia; ita multo magis eadem animadvertitur, ubi a legibus, in natura fixis ac constitutis, discedit. Generatim quidem dicere possumus, nullius nativitatem divinitus ante significatum fuisse, nisi quem Deus ingentibus rebus destinaverit, vel qui in singularis gratiæ divinæ exemplum fuerit positus, cujusque actiones in salutem humani generis cesserint. Exempla habemus in Josio, Cyro, ac optimo sospitatore nostro Jesu Christo. Nullius tamen horum nativitas in loco sacro, templo, fuit prædicta. Quod autem nativitas Joannis in templo, & quidem dum sacris litaretur, fuerit præsignificata, illius sequentes adlegare possumus rationes. (1) Joannes is erat futurus, qui populum docturus esset, religionem non externis cultus divini exercitiis absolvi, nec in his salutis cardinem consistere, sed ut animus per fidem purgaretur, ut a vitiis & peccatis abstinerent, Deo amore sincero adhærerent, voluntati ipsius sanctissimæ obsequium præstarent, seque illi virtutis omnis ac pietatis studio commendarent. Voluit igitur Deus per sapientiam suam ea, quæ nativitatem ipsius antevertebant, quinimo ipsam illius nativitatem iis insignire characteribus, qui magni

quid

quid portendere videbantur, quique omnium animos arrigebant. Si nativitas ipſius præſignificata non fuiſſet, ſi in lucem editus fuiſſet a parentibus ea ætate, quæ ad procreandam ſobolem eſt apta, in publicum docendo prodiens, non tantum tribulium admirationem excitaſſet, non tantus ad ipſum ex omnibus concurſus eſſet factus. Verum ubi nativitas ejusdem in publico loco, in ipſo ſacratiſſimo templi palatio, & illo quidem temporis articulo quo ingens populi multitudo congregata erat, per genium aliquem cœleſtem fuit prænuntiata, & poſt ex parentibus ſterilibus, ad prolem procreandam minus idoneis, in lucem eſt emiſſus: ubi docendi munus eſt adgreſſus, populares, illorum omnium memores, catervatim ad ipſum convolarunt, ejusdemque doctrinam avidis auribus ac animis exceperunt, eidemque ſe promto obſequio ſubmiſerunt. Nullum enim eſt dubium, quin Zacharias, poſtquam ſermonis uſus ipſi fuit reſtitutus, colloquium angeli, propinquis ſaltim ac familiaribus, enarraverit, per quos ad alios dimanavit. Id non obſcure colligere poſſumus ex v. 14. και εσαι χαρα σοι ϗ αγαλλιασις, ϗ πολλοι επι τη γεννησει αυτου χαρησονται. Quæ lætitia in ipſis ſolida non fuiſſet, niſi ipſis conſtitiſſet, cui fini nativitas ejus & vita deſtinata eſſet. (2) Joannes anteambulo Meſſiæ futurus erat, qui populum vitæ emendatione & fide præparatum eidem adducturus erat. Quare ſapientiæ divinæ congruum erat, ut nativitas hujus in templo, ad quod non ita multo poſt venturus erat, præſignificaretur: unde parentes & cum ipſis pii omnes lætum augurium capere poterant, ipſum in miniſterio do-

mini

mini vitam acturum esse. (3) Adnuntiatio nativitatis ipsius contigit illo tempore, quo parens non in sacrificio adparando, sed in suffitu adolendo & precibus fundendis occupatus erat: unde, quibus mens non læva erat, in hanc cogitationem ingredi poterant, tempus instare, quo ubique locorum suffitus, nomine Dei adduceretur & munus purum adoleretur Mal. I. 11. i. e. per omnem terram cultus spiritualis in honorem Dei eminentissimum instauraretur, ac ministerium Joannis ad illum viam muniret. (4) Ubi innotuit, adparitionem & revelationem extraordinariam Zachariæ in templo obtigisse, nova spe ipsorum animi excitabantur, fore, ut Deus de novo populum suum hac gratia dignaretur, ut legati, divina luce & indubia auctoritate muniti, ad ipsum mitterentur. Dolebant, per longum satis tempus prophetam divinitus missum inter se non exsurrexisse; spem tamen non abjiciebant, futurum, ut beneficio illo de novo mactarentur 1 Macc. IV. 46. IX. 27. XIV. 41. Dubium igitur vix est, quin, ubi fama de angelo Zachariæ adparente ad plures dimanavit, pii, qui consolationem Israelis exspectabant, spem certam conceperint, tempus instare, quo Deus spiritum suum largiori copia effusurus esset Joël. III. 1. 2. & commercium angelornm cum hominibus restitueretur.



EXERCITATIO V.

DE

LAPIDIBUS VIVIS STRUCTIS IN DOMUM SPIRITUALEM. AD 1 PETR. II. 5.



CONSPECTUS.



Templum Hierosolymitanum, in quo Deus præsentiam suam olim testatam fecit, Judæis tandem ostendendi occasionem dedit. §. 1. 2. Proponitur, simulque examinatur sententia ALEX. MORI, existimantis, (α) Petrum adpellando λιθυς ζωντας respicere ad λιθυς εμψυχυς, memoratos Plutarcho, qua occasione de bæthyliis veterum quædam in medium proferuntnr. 3. (β) Nec locutionem Petrinam cum illa scriptorum τ̃ ἔξω, nominantium STATUAS ANIMATAS, confligi posse, cum, quæ vita, scriptoribus paganis consentientibus adscribitur ipsis, a spiritibus impuris, sub illis latitantibus, proficiscatur. 4. Adfer-

fertur eximius locus Hieroclis, qui ῥυτοῖς, Petrinæ adfines adhibet. Sed in censum venire haut posse ostenditur, cum is locutiones scriptorum sacrorum N. T. & speciatim Petri imitari videatur. 5. Examinatis aliorum sententiis, demonstratur, Apostolum respicere ad lapides templi Hierosolymitani, qui parati fuerint ante, quam ad montem Moria sint deportati, concinnatique. 6. Judæorum de lapide שמיר fabula profertur ac exploditur, doceturque simul vim lapidis Smiritis huic comminiscendæ occasionem suppeditare. 7. Ostenditur, lapides templi ædificio destinatos, dolatos atque aptatos fuisse ante, quam Hierosolymam fuerint deportati, qua occasione sententia Theodoreti examinatur. 8. Credentes dicuntur lapides vivi, non quatenus spectantur in se & sua natura, sed quatenus sunt in conjunctione cum Christo, cui tamquam lapidi fundamentali inædificantur. 9. Qua ratione credentes in Christo in templum spiritualem exsurgant, docetur.

§. I.

Quod in singularis beneficii loco reputare debebant Israëlitæ, quod Deus, qui templo non indiget, sed cujus habitaculum est rerum omnium, qua late patet, universitas, domum aliquam inter ipsos strui, in eademque mirabili quadam ratione præsentiam suam testatam facere voluerit; id ipsis postea gravissime impingendi occasionem suppeditavit. In hac domo ad Deum in fide in promissum Messiam accedere debebant, se cum ipso sincero animi studio conjungere, ejusdemque gratiam unice expetere, quo sic altus

ille & sanctus in ipsorum animis, intemerata humilitate subactis ac contritis, sedem suam constituere posset Jes. LVII. 15. Sed tantum aberat, ut hoc agerent, ut potius multi, externis subnixi προςτερημασι, satis esse sibi persuaderent, si quidem cultum externum obirent, festos dies celebrarent, precesque in templo funderent: quod ipsum adversus cujuscunque generis procellas & tempestates præsidio sibi futurum esse, confidebant, cum Deus ob templum in medio sui excitatum, male sibi facturus haut esset. Nec defuerunt homines, prophetarum nomen mentientes, qui ipsos in vana ista persuasione confirmare sategerunt, ut in temerarias hasce voculas prorumperent, *templum domini*, *templum domini*, *templum domini sunt ista* Jerem. VII. 4. digito quasi exerto templum cum partibus suis, quæ est interpretatio KIMCHII, ostendentes, suamque fiduciam significantes: unde factum est, ut vatum, divinitus excitorum, cohortationes ad resipiscentiam nauci fecerint. Ex eo, quod Ps. CXXXII: 14. dicitur זאת מנוחתי עדי עד *hæc est requies mea in omnem æternitatem*, intelligentes hoc de templo externo in Sione condito, illius *perpetuitatem* collegerunt, MAIMONIDES de ædif. templi c. I. §. 2. 3. Præjudicium hoc adeo altas in ipsorum animis egit radices, ut, qui de mutatione cultus ritualis ac futura templi eversione quidquam proferret, is injuria ac maledica in Deum verba jacere censeretur Act. VI: 13. 14. Quare Christus, ejusdemque fidi internuntii, id omnibus viribus contenderunt, corpori præsenti umbram locum facere debere, ac cultui externo internum ac spiritualem successurum: cumque templum Hierosolymitanum libertati, per Christum

partæ,

partæ, impedimento esset, illud tandem una cum urbe igne ferali conflagravit & funditus est excisum. *Quod quidem* (ut elegantissimi SULPICII hist. sacr. L. II. ſ. 45. p. 364. 365. edit. Horn. verba, alia licet occasione prolata, mea faciam) *Christianæ fidei proficiebat: quia tum pene omnes, Christum Deum, sub legis observatione, credebant, nimirum id domino ordinante dispositum, ut legis servitus a libertate fidei atque ecclesiæ tolleretur.* Vivis adhucdum Apostolis, ex Judæis, ad Christum conversio, exstitisse quamplurimos, qui observationem legis doctrinæ gratiæ ac Euangelii adjunctam cupiverint, externumque templi cultum cum officiis religionis Christianæ consistere posse autumaverint, ex Apostolorum scriptis abunde patescit. Præter Paullum, illum libertatis Christianæ vindicem acerrimum fecit hoc Petrus in universali sua ad credentes ex Judæis, per *Asiam minorem* passim sparsos, epistola, quod tantis desideriis in templum, ejusdemque cultum ferrentur: id potius ipsorum esse, ut se renovatos mente, Deo sisterent in templum, in quo ipse per spiritum suum & gratiam habitaret, seque VIVORUM LAPIDUM *instar ædificarent in* DOMUM SPIRITUALEM I. ep. II. 5. Quam sententiam Apostoli, quoniam in præsentia B. C. D. aliquanto curatius excutere est animus, omnis labor in eo versabitur, ut quæram (I.) quorsum PETRUS, λιθυς ζωντας lapides vivos appellando, respexerit, & unde locutionem depromserit, (II.) qui credentibus ac regenitis hoc injungi possit, ut se *lapidum vivorum* instar in *domum spiritualem* ædificent.

§. II.

Quod igitur (1) attinet, adpellantur λιθοι ζωντες כאפי חייתא, uti SYRUS habet, *lapides vivi*. Locutio illa, cum plane sit insolens, lapidibus quippe, corporibus inertibus, quibus motus, vel actuositas aliqua natura non inest, vita nulla adscribi potest: quæri est cæptum inter interpretes, quorsum Petrus cogitationes suas converterit, cum inter locutiones proprias & improprias aliqua saltim convenientia ac convenientiæ ratio intercedere sit necesse. ALEX. MORUS, vir græcarum litterarum doctissimus, observat, Petrum digitum intendere in λιθους ἐμψυχους, PLUTARCHO non semel dictitatos, item *ἀγαλματα ζωντα, και μη ζωντα, ἀψυχα και ἀμοιρα θειας ἐπιπνοιας*, *statuas vivas & non vivas, inanimatas, & divino adflatu destitutas* SUIDAE memoratas. Inde infert, Petrum fideles vere lapides vivos, vere spirantes ac loquentes Dei statuas spirituales, & participes θειας ἐπιπνοιας, hic dixisse, *not. in N. T.* edit. Fabric. p. 210. 211. Ipsa hæc ex MORO repetit. cel. WOLFIUS in cur. philol. ad h. l. ac *lapides vivos* vere fideles, statuis illis spirantibus, quas falso jactitaverint pagani, opponi existimat. Quæ si omnia ita se haberent, cum veri quadam specie adfirmari posset, Apostolum *lapides* illos *animales*, *statuas* illas *spirantes* in oculis habuisse. Sed enim quo minus adsensum præbeam, ratio non est una. (I). *Morus*, adfirmando Plutarchum dicere λιθους ἐμψυχους memoria lapsus videtur, locutionem enim hanc in toto, quem de fluviis consignavit, libello, ne semel quidem adhibet: hoc verum est, ipsum passim

passim lapides non nullos ita describere, acsi vita ipsis propria fuisset. Horsum spectat, quod de lapide, qui in fluvio Eurota nascatur, cui nomen θρασυδειλος, memoriae prodit, quemque *Morus* pariter nominat, ipsum *auritum* fuisse: *ἁμα γαρ*, verba sunt PLUTARCHI, *σαλπιγγος ἀκουει, ἐπι την ὀχθαν προχωρει. Των δ' Ἀθηναιων ὀνομασθεντων, κ̓ εἰς βυθον ἁλλεται*, *simulac tubam audit, ad ripam procedit. Atheniensibus autem nominatis, etiam in profundum se demergit.* Praeterea inducit lapidem tubae clangorem emittentem, de *fluviis* opp. T. II. p. 1160. 1152. edit. Xylandri. In veritatem hujus narrationis ut inquiramus, necessum non est, agitur enim tantum de ῥησει. Quare concedo quidem, Plutarchum lapides aliquos ita describere ac si sensus & vita ipsis inesset; sed λιθυς ἐμψυχυς ab ipso in terminis nominari, nego. Sed (2) hoc largior, licet locutio haec apud Plutarchum non occurrat verum tamen est, illam in paganorum scriptis reperiri. Habet illam SANCHONIATHON, antiquissimus Phoenicum Philosophus, cujus fragmentum, a *Philone Byblio* conversum ac proculdubio interpolatum, nobis servavit EUSEBIUS: ἐπενοησε θεος ὐρανος, inquit, βαιθυλια, ΛΙΘΟΥΣ ΕΜΨΥΧΟΥΣ, *μη χανησαμενος*, *effinxit Deus caelus baethylia*, LAPIDES ANIMATOS, *fabricans*, *praepar. euangel.* L. I. p. 37. Talem *baethylum* animatum *τυ ἀερος κινυμενον*, *per aërem agitatum*, se vidisse refert ISIDORUS Philosophus, cujus vitam descripsit DAMASCIUS, quam in compendium misit *κεφαλαιωτης* PHOTIUS, *biblioth.* p. 995. 1075. ejusdemque formam describit. Vita igitur ac motus *baetylis*, sive *baethylis*, sive *betyliis*, prouti diversimode vox haec

exprimitur, attribuitur, sed non ex propria vi, verum potentia dæmonii proficiscens. Ita enim ISIDORUS: εἶναι τινα δαίμονα, ὃ κινεῖται αὐτόν, εἴτε τῶν βλαβερῶν, εἴτε τῶν ἀγαθῶν σφετεριζόμενον, ἢ μέντοι ἀνηγμένον (vel ut alii legunt ἀνηρπασμένον) εἰς τὸ ἄυλον εἶδος. οὐδὲ τῶν καθαρῶν παντάπασι. τῶν δὲ βαιτυλῶν ἄλλοι ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι κ.τ.λ. esse DAEMONEM *aliquem moventem ipsum* (bætylum), *neque ex noxiis aliquem, neque omnino immaterialis, nec omnino puris, ex bætylis alium alii incumbere.* Igitur *bæthylia ac lapides animati* idem significant. In hoc autem de bæthylis argumentum ut exspatiemur, nec instituti ratio, nec temporis angustia permittunt, maxime cum illud a viris doctrina insignibus jamdum sit occupatum, ex quibus nominare possumus JOS. SCALIGERUM *animadv. in Eusebium* p. m. 198. 199. SELDENUM *de diis Syr.* Syntagm. I. c. V. p. 91. 92. it. syntagm. II. c. I. p. 150. SAM. BOCHARTUM *Phaleg. & Canaan* L. II. c. 2. p. 707. 708. GER. JO. VOSSIUM *de idol. gent.* L. VI. c. 39. p. 714. HUETIUM *demonstr. euangel.* propos. IV. p. 151. GISB. CUPERUM *not. in Lactant. de* M. P. p. 155–157. edit. Bauldrianæ, STACKHOUSIUM *vindic. histor. biblic.* P. II. p. 532. 538. vers. German. Quibus addi possunt JO. CHRIST. BROESTEDI diss. de lapide Jacobi uncto, habita sub præs. cl. GOTTL. FRID. JENICHEN Lips. 1731. §. 11–19. p. 18–30. cum primis JO. CONR. STEPH. HOELLINGII disp. quæ prodiit Groning. 1715. recusa Bremæ 1724. qui, quæ passim apud alios leguntur, studiose collegit. Id unum, quod in rem nostram convertere possumus, est addendum, viros illos doctos ad

unum

unum omnes observare, quidquid de bæthyliis litteris perscriptum circumfertur, id omne ex historia lapidis a Jacobo, Mesopotamiam cogitante, inuncti Gen. XXVIII. 18. 19. esse expressum ac deformatum, maxime cum nomen loci בית אל quod AQUILA exprimit βαιθηλ, in illo βαιθυλος supersit, quodque bæthylia nobis pariter tamquam *oleo delibuta* proponantur. Si autem hoc veri simitudine quadam se commendare videatur, mirum forte cuidam videatur, qui lapides, *oleo perfusi in lapides animatos* ac spirantes fuerint *transformati*. Culpam omnem magnus BOCHARTUS conjicit in PHILONEM BYBLIUM, Sanchoniathonis interpretem, qui cum apud illum invenisset אבנים נשפים משפים *lapides inunctos* ex rad. שוף quod Chaldæis, Syris & Arabibus denotat *unxit, iunxit*, per transpositionem litterarum פ & ש legerit נפשים indeque per λιθους ἐμψυχος transtulerit. At enim hic pro certo ponitur, Sanchoniatonem vere extitisse, illumque historiam suam lingua phoenicia consignavisse, quo de tamen inter eruditos multum disputatur. Ponamus porro locutionem hanc a *Philone Byblio* profectam esse, ad illam Petrus in præsenti loco respicere non potuit, Hadriano quippe imperante in vivis demum fuit, nisi totum illud Sanchoniathonis fragmentum PORPHYRII fraudibus in acceptis sit ferendum. *Philonem* ipsum fragmentum hoc commentum esse, sententia est URSINI & DODWELLI, quos nominat FABRICIUS *bibl. græc.* Vol. I. L. I. c. 28. §. 3. p. 165. 166. Sed redimus ad *Isidorum*. Hic bæthylia illa non unius generis fuisse haut obscure innuit, ex quibus aliqua litteris notata fuisse adfirmat, καὶ

γραμματα ανεδειξεν ημιν εν τω λιθω γεγραμμενα, *& litteras ostendit nobis in lapide scriptas*, ap. *Photium* c. l. p. 1063. Illi igitur lapides, qui inscriptionibus suis gaudebant, improprie λιθοι εμψυχοι adpellari potuerunt, quoniam res, quas per inscriptiones istas ad posteritatem transmissas cupiebant, in vita quasi & perpetua hominum memoria conservabant.

§. III.

Sed dicat aliquis, si phrasis Petrina cum illa λιθων εμψυχων non conferenda, forte ad illius illustrationem aliquid faciunt *statuae*, quibus *vita* & *motus* fuisse, antiquorum aliqui perhibent. Ad istiusmodi statuas provocare *Morum* §. 2. vidimus. Et est certe locus SUIDAE, quem indicat, memorabilis admodum, de *Heraisco* (*x*) testantis: αυτοφυης εγενετο διαγνωμων τωντε ΖΩΝΤΩΝ και των μη ΖΩΝΤΩΝ Ἱερων αγαλματων. ευθυς γαρ εμβλεπων, επιτρωσκετο την καρδιαν υπο του θειασμου και ανεπηδα το τε σωμα, και την ψυχην. ωσπερ υπο του θεου κατασχετος. ει δε μη κινειτο τοιουτος, αψυχον ην εκεινο το αγαλμα και αμοιρον θειας επιπνοιας *per se cognitum habebat, quae ex sacris statuis* VIVA, *& quae non erat. Statim enim ac illas intuebatur, divino quodam adflatu percutiebatur, & corpore pariter atque animo subsiliebat, ac si a Deo detineretur. Sin minus moveretur,* INANIMATA *erat illa statua, & divini spiritus*

(*x*) Divinationum peritissimum, Aegyptiorum libris diutius innutritum, ac omnis illorum sapientiae callentissimum fuisse, observat FABRICIUS *biblioth. graec.* Vol. IX. p. 710.

tus experſ. Ἄγαλμα ex aliorum ſententia eſſe ſtatuam Deorum aut heroum, ex aliorum autem mente ex *lapide poro*, vel alio *marmore* factam & paratam, obſervat Ill: CUPERUS *ad Lactant.* p. 228. Uterque ſignificatus locum hic commode habere poteſt. Sed vero locus hic Suidæ ponit quidem ſtatuas alias *vivas*, alias *non vivas* ac *inanimas*, divino adflatu deſtitutas, Heraiſcum autem illud ex motu, quem ex illarum præſentia perſenſerit, ſcire potuiſſe, nullum vero ſignum, ex quo alii idem cognoſcere potuerint, exprimit. Igitur alia teſtimonia, ex quibus id ipſum liquido adpareat, accedant neceſſe eſt. Non poteſt clarius eſſe aliud illo, quod ex ore *Triſmegiſti* in medium profert *Apulejus*. Verba ipſius hæc ſunt: *videſne, quatenus tu ipſe diffidas?* STATUAS ANIMATAS *ſenſu & ſpiritu plenas, tanta & talia facientes, ſtatuas* FUTURORUM PRAESCIAS, *easque forte vates ſomniis multisque aliis rebus prædicentes, imbecillitatesque hominibus facientes, easque curantes triſtitiam promeritis, ad Aſclep. p.* 90. *Deorum ſimulacra locuta* fuiſſe, adfirmat LACTANTIUS *inſtit.* L. II. p. 82. Tales imagines ac ſimulacra non inter Græcos ſolum & Latinos, verum etiam Arabes obtinuiſſe adparet ex eo, quod, referente MAIMONIDE, peculiaris aliquis liber, de *imaginibus loquentibus* inter ipſos in uſu fuerit, conf. HOTTINGER. biblioth. Orient. p. 104. Quo autem certius de hoc negotio judicium expromere liceat, juvabit inquirere, quales hi ſpiritus fuerint, & qua ratione cum ſtatuis iſtis ſint conjuncti. Angelos ſive dæmonas nominat CYPRIANUS, cujus verba hæc ſunt: *hi ergo* SPIRITUS *ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt, hi adflatu*

suo vatum pectora inspirant, cetera, de *idol. vanit.* p. 14. opp. edit. Oxon. Idem docet PRUDENTIUS, Poëta Christianus nobilissimus, qui, ubi perstrinxerat numina, manu artificis facta, voce ac gressu carentia, pergit:

Adsunt & illis SPIRITUS,
Sunt sed magistri criminum,
Vestræ & salutis auspices,
Vagi, impotentes, sordidi:
Qui vos latentes incitos
In omne compellunt nefas,

peristeph. hymn. v. vers. 76 - 81. Spiritus hos malos ac impuros ritibus ac incantationibus quibusdam magicis devocasse, eosdemque statuis indidisse, adeo ut per illas vocem emiserint, fatetur APULEJUS: *invenerunt*, *inquit*, *artem*, *qua Deos efficerent*, *cui inventæ adjunxerunt* VIRTUTEM *de mundi natura convenientem*, *eamque miscentes*, *quoniam animas facere non poterant*, evocantes ANIMAS *dæmonum*, *vel angelorum* eas INDIDERUNT *imaginibus sanctis*, *divinisque mysteriis*, *per quas* (sola) *idola & bene faciendi & male vires habere potuissent*, ad *Asclep.* p. 99. Quocum conferri meretur ARNOBIUS, qui pronuntiat, credere gentiles, *Deos relictis sedibus propriis* (cælo) *non recusare*, *nec fugere habitacula inire terrena: quinimo jure* DEDICATIONIS *impulsos simulacrorum* COALESCERE VINCTIONI, *adversf. gentil.* L. VI. p. 240. Qua de caussa in consecrationibus positum cæli ac siderum, istius potissimum, cujus honoribus statuam propriam cupiebant, solicite spectabant, autumantes, fore, ut intelligentia, quæ sideri præesset, in illam defueret, conf.

HUMPHR. PRIDEAUX *hist. des Juifs* T. I. p. 321. 322. edit. Basil. Obtinuit id cum maxime in diis urbium ac regionum præsidibus atque tutelaribus, quod demonstratum dedi in exercitationibus de *Romanorum circa deos præsides superstitione* Sect. III. §. 2. Habemus igitur quidem *statuas animatas*, per quas spiritus sub illis latitans vires suas ac potentiam aliquando exseruisse dicitur. Cum his autem vere credentes ac regenitos, *lapides spiritus divini efficacia vivos* atque *actuosos* componere velle, idem esset, ac si quis Christum per spiritum suum in regenitis habitantem cum Beliale, sub consecratis olim statuis latitante comparare, templum domini, sanctitate splendens, cum impurorum dæmonum diversoriis atque latibulis confligere vellet 2 Cor. VI. 15. 16. De locutionibus ex profanis scriptoribus depromtis, iisdemque ad dictionem scriptorum sacrorum aptandis hoc teneo: in illis multa cautione opus esse, easdemque non ilico ob levem aliquam convenientiæ umbram cum illa contendendas, sed penitiorem illarum sensum ac originem prudenter expendendam esse, ne sacra nostra temere conspurcemus. Addimus, licet non negemus, ante prædicationem Euangelii magnam fuisse vim diaboli in gentibus profanæ religioni addictis, quo sic in superstitione ac deorum commentitiorum cultu detinerentur, dubium tamen est ingens; qui fieri potuerit, ut operationibus theurgicis spiritus in statuas istas devocati, iisdemque adfixi manserint, ac voces atque responsa ediderint. Ad hæc fraus sacerdotum satis est manifesta, qui artibus suis statuas moverunt, in illisque, vel occultis recessibus latitantes, ad nutum atque votum quærentium responsa dederunt, ac ipsorum desideriis

deriis aptaverunt. Hujus generis exempla dat erudit. van DALE *de oracul. veterum ethnicorum* c. X. p. 214. seqq. pariter in præfatione operi huic præmissa.

§. IV.

Si quam ῥησεως Petrinæ similitudinem cum locutionibus των εξω instituere volupe esset, majori longe jure adducere possem elegantissima verba HIEROCLIS, qui hunc in modum loquitur: και ὁ προηγυμενως ἱερειον ἑαυτον προσαγων ϗ ΑΓΑΛΜΑ θειον τεκταινων την ἑαυτυ ΨΥΧΗΝ, ϗ ναον εἰς ὑποδοχην τυ θειυ φωτος τ' ἑαυτυ παρασκευαζων νυν, *& qui præcipue* se ipsum *hostiam offert*, *animam suam divinam* STATUAM *fabricat*, MENTEM*que suam ad divini luminis receptionem præparat*. in *aur. carm. Pythag.* p. m. 24. edit. Needhami. Offendimus hic *ἀγαλμα statuam* simulacrum, *animam* ipsam, vivam, divinam, θειας κοινωνον φυσεως, divinæ naturæ per regenerationem participem 2 Petr. I. 4. qua se Deo in victimam puram eique placentem sistit ac offert, *mentem*, qua se aptat in templum ad recipiendam *lucem* sapientiæ ac gratiæ 2 Cor. IV. 6. coll. VI. 16. Sed vereor admodum, ne verba hæc illustriora longe esse cuiquam videantur, quam ut homini, in schola philosophica præceptis Pythagoræ ac Platonis innutrito, in mentem venire potuerint. Tanta certe inter hæc & effata Apostolorum est convenientia, ut major vix cogitari possit. Platonici *secundo* & *tertio* sæculo Christianismi, videntes res suas in dies ruere, Christianorum contra florentiores usque fieri, ac conspicua sumere incrementa, præcepta sua iis fere dicendi formu-

lis

iis atque modis extulerunt, quibus Chriſtiani ſua proferre ſolebant, quò ſic conſenſum ſuum cum illis demonſtrarent, hominesque, ne ad Chriſtianorum ſacra ſe conferrent, avocarent, quod ſolide oſtendit cel. MOSHEMIUS diſſert. lectu digniſſima de *ſtudio ethnicorum Chriſtianos imitandi*, quæ habetur diſſert. *ad hiſtor. eccleſ. ſpectant.* vol. I. p. 330. 385. Idem ſpeciatim de HIEROCLE pronuntiat, in ſacrorum ſcriptorum lectione probe verſatum fuiſſe ac ſtilum ſuum ad indolem librorum divinorum attemperaſſe; quinimo ipſa hæc verba noſtra, modo excitata in exempli locum p. 340. adducit. Ut autem ex iis, quæ prolixe adhuc ſunt diſputata, ſummam aliquam cogitationum mearum efficiam, hæc mihi mens ſedet, neque ad *lapides*, neque ad *ſtatuas animatas* priſcorum cum veri quadam ſpecie reſpici poſſe. (*x*)

§. V.

(*x*) Aliorum ſententias, quæ circa *μεν Petrinam* verſantur, ut excutiam, non vacat. Illuſtr. GROTIUS adluſionem ad *Levitas* inſtitui arbitratur, qui Ebræis dicti fuerint *lapides templi*, quod unde habeat, me ignorare lubens fateor, nec ipſe locum aliquem adducit. Cel. VITRINGA confert invicem locutiones *ἀρτιγέννητα βρέφη, modo geniti infantes* v. 2. & *λίθοι ζῶντες lapides vivi* v. 5. ac ſi per paronomoſiam quandam luſerit Apoſtolus in voce אבנא/ quæ & *filium* & *lapidem* deſignet, *obſerv. ſacr.* L. IV. c. 9. §. 31. p. 1602. it. in *Jeſaiam* T. II. p. m. 621. edit. Baſil. Explicatio hæc *merito ſubtilior* videtur WOLFIO. Habet utique hæc interpretatio ſpeciem, cujus fundamentum hoc eſt. Chaldæi itemque Syri ex voce בן *filius* per proſtheſin *τυ* א faciunt אבן/ inde accedente א emphatico formatur אבנא/ apud Arabes pariter eſt אבן *filius*: ipſa autem illa vox præterea denotat *lapidem*. Eandem conciliationis rationem ingreditur vir ſummus, ubi in

§. V.

Examinatis virorum doctorum ſententiis, cum in illis ob rationes, in medium prolatas tuto adquieſcere non poſſimus, circumſpiciendum eſt, unde Petrus locutionem hanc mutuaverit. Quod ut ordine fiat, ſequentia poſtulata ut mihi concedantur, expeto. (I.) Si qua res, in cultu priſcorum Iſraëlitarum obvia, locutioni huic vel adfinis, vel ſimilis, demonſtrari poſſit, inde locutio-

in explicatione verborum JOSEPHI, vel potius excubitorum in turribus urbis Hieroſolymitanæ verſatur B. J. L. VI. c. VII. p. 921. exclamantium, quotiens lapis balliſta libratus advolabat, τῃ πατρῳ γλωσσῃ ὁ ΥΙΟϹ ἐρχεται, *patria lingua* (i. e. Syriaca) FILIUS *venit*, אבנא בא / quæ verba verti potuerint *& filius venit*, *& lapis venit*, *apol. libri de templo Ezechielis ad* J. H. *Coccejum* p. 245. 246. Explicatio hæc locum habere poſſet, (1) ſi Petrus ad tribules ſuos, qui Chriſto nomen dederant, idiomate Syriaco, quo tum temporis utebantur Judæi, epiſtolam hanc conſignaſſet: in lingua Syriaca ambiguitas illa obtinet, in græca minus. Non tamen ſum ignarus, etiam Doct. CLERICUM ad Heſiodi Θεογον. v. 485. p. 84. ex hoc fonte fabulam de Rhea, *lapidem* Saturno loco *filii* porrigente, explicare, ac ſi alienum filium, pro proprio, in carcerem compingendum, ſtiterit. Sed vero & hic rationem non ex lingua græca, ſed phoenicia arceſſit, vocem autem אבן / ſumta illa pro *lapide*, comminiſcendæ fabulæ ortum præbuiſſe, non diffitetur. (2) Dicere non poſſumus, *ἀρτιγεννητα βρεφη* & *λιθους ζωντας*, eſſe ſignificatu easdem, adeoque inter ſe converti poſſe, quia per *priorem* locutionem indicantur illi, quibuſcum primum vitæ ſpiritualis *principium* per regenerationem eſt communicatum, per *poſteriorem* vero illi, qui jamdum *gradum* aliquem atque *incrementum* in regenerationis ſtatu ac vita ſpirituali fecerunt.

tionem hanc Petrum petiisse, saltim in oculis habuisse, dubium vix esse. Scribit Apostolus ad credentes ex Judæis conversos, quibus instituta patria, non æque aliarum gentium cognita fuerunt. (II.) Si quid in templi fabrica ostendi queat, quod ad ρησιν Petrinam illustrandam adcommodari possit illud aliis omnibus adlusionibus, sive adcommodationibus præferendum esse. Adpellat Apostolus credentes οικον πνευματικον, ιερατευμα αγιον, βασιλειον ιερατευμα I, ep. c. II. ỳ. 9. Postulat, ut offerant sacrificia spiritualia. Ex his jam, quæ certa ac testatæ sunt veritatis, hoc infero, in lapidibus templi, unde elegantissima illa fabrica constructa, est aliquid, sive in illorum *præparatione*, sive *aptatione* ad structuram ejusdem, quod credentes respectu vitæ spiritualis & conjunctionis cum Christo, fundamento, cumque reliquis membris ipsius mysticis sensu typico repræsentare possit. Generatim vidit hoc BEZA: *ecclesiam*, inquit, *templo comparat, cujus lapides sint singuli fideles. Alludit ergo* ad veteris TEMPLI STRUCTURAM, *quo etiam pertinet, quod de sacerdotibus sanctis & spiritualibus hostiis commemorat.* Id igitur demonstrandum nobis incumbit, lapides ad fabricam templi ita aptatos fuisse, ut credentes tamquam lapides vivos spiritualis templi, per spiritum sanctum animatos, referre possint. De illis scriptor sacer memoriæ proditum reliquit, extra Hierosolymam ita paratos fuisse, ut, cum eo avehe-rentur, facili opera compingi potuerint, sicque moles templi brevioris temporis lapsu perfici 1 Reg. VI. 7. Elegantissime & ad rem nostram adcommodate admodum hoc exprimit JOSEPHUS, hunc in modum differens: ἡ δ' ὁλη τυ

ναυ

ναȣ οἰκοδομια, κατα πολλην τεχνην ἐκ λιθων ἀκροτομων ἐγενετο συντεθεντων ἁρμονιως πανυ ϗ λειως, ὡς μητε σφυρας, μητε ἀλλȣ τινος ἐργαλειȣ τεκτονικȣ τοις κατανοȣσιν ἐργασιαν δηλȣσθαι. ἀλλα διχα της ἐκ τȣ χρησεως πασαν ἡρμοσθαι την τȣτων ὑλην προσφυως. ὡς ΕΚΟΥCΙΟΝ την ἁρμονιαν αὐτης δοκειν μαλλον, ἡ της των ἐργαλειων ἀναγκης. *Tota vero ſtructura templi multa arte ex lapibus politis conſiſtebat, apte admodum atque leviter compoſitis, adeo ut neque mallei, neque alius cujusquam fabrilis inſtrumenti veſtigium contemplantibus adpareret, ſed absque horum uſu omnis illorum materia* NATURA *quaſi* CONNATA *compingeretur: adeo ut* VOLUNTARIA *illius potius videretur harmonia, quam neceſſitatis inſtrumentorum*, A. J. L. VIII. c. 2. p. 260. Proponit nobis ædificium ex lapidibus, ante in uſum aptatis ac affabre extremitatibus abraſis ac reſectis, itaque arcte, nullis commiſſuris adparentibus, concinnatis, exſurgens, ut totum illud non tam opus artificum, quam quidem ex vivo lapide ſponte ſua & voluntarie quaſi emerſiſſe videretur. Tales igitur ubi deſcribit lapides templi, vitam illis *analogice* quaſi adſcribit, quod nobis hoc in negotio ſufficere poteſt: cum in typo haut raro levior ſit umbra, cujus plenior repræſentatio in antitypo exhibetur. IGNATIUS, vel quisquis auctor epiſtolæ ad *Epheſios*, certe ſatis antiquus, ubi in contemplatione templi hujus ſpiritualis hæret, pariter lapides templi Hieroſolymitani ſuo modo tamquam *vivos*, qui ad ſummitatem illius adſcenderint, ſpectat, illos cum credentium virtute, qua in altum emergunt, conferens: ὡς ὀντες λιθοι ναȣ πατρος ἡτοιμασμενοι εἰς οἰκοδομην θεȣ πατρος ἀναφερομενοι εἰς τα ὑψη δια της μηχανης Ιησȣ Χριςȣ,

ὁ ἐςιν

ὁ ἐστιν σταυρὸς, σχοινῳ χρωμενοι τῳ πνευματι ἁγιῳ. *Ut exsistentes* (vos credentes Ephesii) *lapides templi patris, parati ad aedificium Dei patris, sublati in altum per machinam Jesu Christi, quae est crux, fune utentes spiritu sancto*, p. 22. 23. edit. Voss. Crucem Christi, beneficia, quae per dirissimos cruciatus suos paravit, tanquam adminiculum, per quod ad Deum subvehantur, considerat. Neque insolens est apud scriptores τους ἐξω, ut ubi aedificium aliquod multa cum promtitudine ac brevioris temporis lapsu absolvitur, lapides sponte sua adscendisse dicantur. Ad cytharae cantum muros urbis Thebanae structos esse, poëtae comminiscuntur: δοκουσι δε ἐνιοι κιθαριζειν αὐτους καὶ τους ΛΙΘΟΥΣ ἐπι το τειχος ΑΥΤΟΜΑΤΩΣ ἀναβαινειν, *putant aliqui ipsos* (Amphionem sc. & Zethum) *cytharam pulsasse, & lapides* SPONTE SUA *in murum prosiliisse*, quod ipsum PALAEPHATUS de alacritate, quam in structura homines adhibuerint, explicat, adeo ut lapides non tam congesti ac super fundamentum concinnati fuerint, sed sponte sua ac proprio motu adscenderint, de *incredibil. hist.* p. 58.

§. VI.

Igitur verba Scriptoris Sacri simplicem hunc fundunt sensum, lapides alibi paratos & aptatos, Hierosolyma ad montem Moria fuisse delatos, ut nihil amplius fuerit requisitum, quam ut justo conjungerentur ordine, concinnarenturque, ut hinc nullius instrumenti fabrilis sonitus, cum templum strueretur, Hierosolymis fuerit auditus. Quoniam vero Judaeorum magistris in historia nihil fere placet, nisi quod imaginationem adficiat, quod-

N que

que insolitum, paradoxum atque stupendum videatur, quo sic populi sui historia sit continua series miraculorum ac prodigiorum: cum legerent, instrumenti fabrilis sonum non esse auditum, autumantes, nullum omnino ferramentum esse adhibitum, vermem quendam sunt commenti, cui nomen שמיר quem *granum hordeaceum* magnitudine non superasse, tantamque vim habuisse, dictitant, ut, simulac durissimis saxis fuerit impositus, illa dissiliverint, ac resectis inæqualitatibus ab invicem secesserint, non aliter ac si ad perpendiculum duro labore fuerint abrasæ. Hujus vermis beneficio Mosen decalogi præcepta tabulis insculpsisse, ac Bezaleelem gemmas, pectorali P. M. inserendas, adaptasse, commemorant, illumque ad excidium Hierosolymorum usque superavisse, nugantur. Unde vermis hic ad Salomonem pervenerit, referre tædet, sunt enim adeo inepta atque frigida, ut vel ipsum ABARBANELEM, qui fidem suam antiquorum placitis non cæca obedientia adstringit, putidæ hujus fabulæ puduisse videatur, quare ubi illius partem aliquam recensuerat, subdit: *talia de verme* שמיר *prædicant, quæ non visa sunt mihi hic adducere, eo quod allegorice sunt dicta, comm. in proph. priores* fol. 216. col. 4. & doctiss. EISENMENGERUS ex vero pronuntiat, *non facile stultius somnium febricitanti homini obvenire posse, Judaism. detect.* P. I. c. VIII. p. 353. Ceterum de verme hoc præter illos auctores, quos cl. HARENBERGIUS *mus. brem.* Vol. I. P. 2. p. 290. nominavit, conferri possunt ABARBANEL & EISENMENGERUS p. 350. 354. qui loca talmudica convasavit. Per שמיר in scriptura memoratum, non vermem, sed lapidem durissimum, quo

quo gemmarii ad expoliendas gemmas utantur; qui Græcis σμιρις, latinis *smiris*, Germanis *smirgel*, Italis *smeriglio* adpellatur, intelligendum esse, sententia est BOCHARTI, viri raræ ac stupendæ eruditionis, *Hieroz.* P. II. L. VI. c. II. p. 841–843. qui horsum adducit locos Jer. XVII. 1. Zach. VII. 12. Ezech. III. 9. σμιριτης λιθος Job. XLI. 6. conceptis verbis nominatur, qua ipsa notione duritiem, quæ in ossibus ac pelle Leviathanis deprehenditur, ALEXANDRINI emphatice admodum expresserunt. Ipsam hanc sententiam adoptavit JO. CHRISTOPH. HARENBERG, vir sagacis ingenii & variæ doctrinæ, totiusque fabulæ hujus originem probabili admodum ratione demonstravit, *mus. brem. l. c.* p. 287–296. Hæc non eum in finem a me adducuntur, acsi in illa persistam sententia, smiridem lapidibus, structuræ templi necessariis, adparandis inserviisse, cujus in historia templi conditi nec vola, nec vestigium occurrit, quandoquidem, quod ex testimoniis, ab HARENBERGIO adductis, liquet, conf. MARTINIUS lex. philol. p. 3664–3665. ad gemmas quidem sculpendas, vitra dividenda, & arma expolienda, non autem ad saxa ac lapides findendos fuit adhibitus. Nisi quis dicat, lapidibus a lapicidis aptatis, pulverem lapidis smiridis ad detergendos ac poliendos illos fuisse insumtum. HESYCHIO, quippe & PHAVORINO, docentibus, σμιρις, αμμος ειδος ἡ σμηχονται οἱ σκληροι τ λιθων, *smiris, est arenæ, sive pulveris species, qua duri lapides abstergantur*, poliuntur. Sed quidquid hujus est, id omne conjectura tantum nititur, certiora ex ipsa historia sacra adducuntur.

 §. VII.

§. VII.

Hæc quippe commemorat אבני שיש *lapides marmoreos*, magna copia congestos, a Davide Salomoni in templi ædificium relictos fuisse, quod ipsum in publicis procerum regni comitiis exponit 1 Chron. XXIX. 2. Videri cuiquam posset, Davidem omnem lapidum, ad structuram templi necessariorum, congeriem coëgisse, sed illos non omnino suffecisse, verum præterea alios ex lapicidinis cæsos atque aptatos fuisse, liquet ex 1 Reg. V. 31. 32. quo in loco ubi adpellantur אבני גזית/ *lapides cæsi* atque politi, deportati Hierosolyma, ad fundandam domum Dei, nullus fere dubito, quin tales ita cæsi atque aptati fuerint prius, quam loco suo moti & ad urbem sanctam avecti. Hoc modo rem concipit JOSEPHUS, referens, ingentem fuisse hominum multitudinem, quibus in mandatis fuerit datum, λιθους τεμνειν μεγαλους, εἰς τυς τυ ναυ θεμελιυς· ἁρμοσαντας δε πρωτον καὶ συνδησαντας ἐν τω ὀρει, κατακομιζειν ἀυτως εἰς την πολιν, *lapides cædere ingentes, in fundamenta templi, aptantes primum ac colligantes in monte, sicque in urbem devehere*, A. J. L. VIII. c. 2. p. 259. Cujus generis lapides hi fuerint, non quidem exprimitur, sed cum lapides, a Davide congesti, dicantur fuisse *marmorei*, quos singulari candore splenduisse, & forsitan ex *lapide alabastrite*, qui, teste PLINIO H. N. L. XXXVI, 8. *circa Thebas ægyptias & Damascum nascatur*, fuisse, arbitratur GUSSETIUS comm. ebr. ling. p. 852. Ejusdem speciei lapides Salomonem parandos curavisse, a probabili fide non est alienum, quamquam illi non Da-

masco,

masco, nec Thebis ægyptiis, sed ex monte Libano advecti videntur. Ex lapidibus marmoreis, insigniter albicantibus ac splendentibus magnificam hanc templi fabricam constructam fuisse, sententia est Judæorum doctorum. Ita R. JUDA LEO בנין הבית היה מאבני שיש טהור דומה בזהרו ללבנת הספיר ולעצם השמים לטוהר אשר (z) על כן הנכרים הבאים לירושלם בהביטם אל הבית מרחוק לא יכיר והו כי יחש בוהו לאחד מהרי שלג וכזרוח השמש על הארץ יתנוצץ כלפיד אש זוהר הבית וגו׳ / *fabrica templi fuit ex lapidibus puri marmoris, similis, quod ad splendorem suum, candori sapphiri, ipsique adeo cælo, quod ad puritatem. Idcirco peregrini, Hierosolyma contendentes, ubi templum eminus tuiti sunt, non cognoverunt illud, sed cogitaverunt esse unum ex montibus nivosis* (nive coopertis) *& quemadmodum ubi sol oritur super terram, scintillas emittit instar lampadis igneæ, sic splendor domus hujus extrinsecus erat*, תבנית הבית L. I. c. 5. p. 6. col. 2. Ex his igitur omnibus conficio, lapides, sive a Davide ad structuram templi relictos, sive Salomonis jussu cæsos, opera peritorum artificum extra Hierosolyma ita affciatos fuisse, ut, postquam in montem domus adducti facili opera componi, itaque arcte compingi concinnarique potuerint, ut, cum lapides candidioris marmoris essent, totum templum instar vivæ cujusdam rupis ex una radice continua serie enatum esse videretur, montisque nivosi spe-

(z) Illud אשר plane otiosum videtur, si autem addatur לו / quod excidisse videtur, sententia non amplius est hiulca.

ſpeciem adventantibus objiceret. Hoc certiori longe fundamento adſeverare poſſumus, quam ut ad extraordinariam plane providentiam Dei confugiamus, facientis, ut lapides natura ſua aptati ſponte ſua fuerint inventi, qui confeſtim componi potuerint, ut artificis manus accedere neceſſe non fuerit. Ita difficultatem hanc expedivit THEODORETUS: αὐτον τον ναον, inquit, ἐξ ἀπελεκητων ὠκοδομησε λιθων της θειας προνοιας τοιουτους αὐτοφυεις εὑρεθηναι λιθους ἐθελησασης, ὡςε μηδενος εἰς ἁρμονιαν δεηθηναι σιδηρου, ἀλλ᾽ ὑπερ πασαν οἰκοδομικην τεχνην ἀλληλοις συναρμοσθηναι, *ipſum templum ex non cæſis lapidibus ſtruxit* (Salomo) *volente divina providentia, ut tales lapides natura ita nati invenirentur, adeo ut non ullo ferro ad compingendos illos opus eſſet, ſed ſupra omnem ædificandi artem ſibi mutuo apte jungerentur, quæſt.* in 3 Reg. XXIII. opp. T. I. p. 304. Errandi occaſionem ſumſiſſe videtur ex interpretatione græca, in qua verba אבנו גזית 1 Reg. V. 31. convertuntur per λιθους ἀπελεκητους, acſi nullum omnino inſtrumentum fabrile acceſſerit, quæ tamen mens interpretis minime fuit, ſequitur enim ſtatim, καὶ ἐπελεκησαν οἱ υἱοι Σαλωμων κ. τ. λ. Quare ubi adpellat λιθους ἀπελεκητους ſenſus hic eſt, lapides hos, quod ad magnitudinem atque menſuram ſuam a peritis magiſtris ita dolatos fuiſſe, ut poſthac illos aptare neceſſe non fuerit. In codice Ebræo v. 32. habemus verbum פסיל, quod ex uſu ſuo neutiquam formam, quæ rei per naturam ineſt, ſed quæ per artem manu opificis inducitur, deſignat Exod. XXXIV. 1. 4. Deut. X. 1. Habac. II. 18: præterea h. in l. memorantur ſervi Salomonis & Hirami, item Giblitæ, de iisdemque pronuntiatur, lapides ad ædifi-

ædificium aptavisse. Quando igitur Apostolus noster locutionem hanc mutuat a templo §. V. lapides illius solicite fuerunt dolati ac positi ante, quam Hierosolyma abducti, ut facili opera in unam domum compingi potuerint, illaque ex vivo quasi ac continuo saxo enata fuerit visa §. V. VII. nullus fere adseverare dubito, quin Petrus ad lapides illos templi sermonem suum adcommodarit.

§. VIII.

Expedito jam primo caussæ nostræ momento, unde Petrus ρησιν suam desumserit, accedo ad (II) qui credentibus ac regenitis hoc injungi possit, ut se lapidum vivorum instar ædificent in domum spiritualem. Duo hic se nobis contemplanda offerunt (1) ortus vitæ hujus ex conjunctione cum Christo, (2) qua ratione una cum reliquis corporis Christi mystici membris in domum spiritualem exsurgant. (1.) Vitam hanc credentes habent a Christo, ad quem tanquam *lapidem vivum accedentes* v. 4. seque super illum ædificantes, vitam ex illo atque spiritum trahunt, ut per illum ac in illo viventes spiritualia sacrificia Deo ferant. Igitur admonentur (α) pristini status sui, in quo extra Christum erant lapidum instar, omni vita spirituali ac sensu gratiæ divinæ destituti, quæ ratio est, quare homini, in statu naturali viventi, adscribatur *cor lapideum* Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. atque is, qui omnem παιδειαν respuit, judicia divina susque deque habet, eaque animi est pervicacia, ut omnem conversionis ac emendationis spem tollat, *faciem suam petra magis obfirmare* dicatur Jer. V. 3. Homo naturalis stupore quodam in rebus spiritualibus est tactus, ut neque Deum

quærat, nec manifestationem salutarem percipiat, nec recipiat, nec ad salutem in ipso quærendam anhelet, nec se ipsi in obsequium fidei submittat. Apud profanos etiam scriptores homines duri, stupidi, pervicaces, inexorabiles cum lapidibus haut raro confliguntur. Sic *Dido*, furore percita, cum Aeneam ab itinere, quod Italiam versus moliebatur, avertere minus posset, criminatur:

duris genuit te CAUTIBUS *horrens*
CAUCASUS, VIRG. *Aeneid.* L. IV. 366. 367.

Psyche, cum imprudentia sua felicitate, qua antea abunde obruta erat, excidisset, & nunc in curarum ac ærumnarum suarum multitudine, quid consilii caperet, ignoraret omnino, dicitur *mutata in* LAPIDEM, APULEJUS Metam. L. VI. p m. 179. edit. ELMERHORST. Ex adversa parte ex lapidibus facti fuisse finguntur homines, ubi illi doctrina, præceptis, legibus ad mansuetiorem vitam fuerunt traducti. Horsum fabulam de lapidibus in homines per Deucalionem & Pyrrham conversis referendam esse, sapientiores sciscunt. Nec existimet aliquis, gentes quidem lapidum nomine venire posse Matth. III. 9. Luc. III. 8. quibus addunt nonnulli locum, qui est Luc. XIX. 40. Judæos non æque, quibus Deus verbum suum crediderit, in quorumque manibus tabulæ promissorum gratiæ sint versatæ, quique in cultu divino se operosos satis exhibuerint. Sed vero si etiam tales vere fuerunt, quales esse debuerunt, non tales *natura*, sed *gratia* exstiterunt: secundum naturam quippe Judæi non præcellunt gentilibus, *sed omnes sunt sub peccato* Rom. III. 9. Ut taceam, quo tempore Christus in hunc orbem cælo se demisit,

longe

longe maximam Judæorum partem à fide patrum descivisse, doctrinam gratiæ corrupisse, Jesu Nazareno, vero Messiæ, se illis manifestanti, acriter restitisse frontemque adversus doctrinam ipsius petræ instar firmasse, ut non sine injuria Stephanus ipsos compellarit: σκληροτράχηλοι καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν καὶ ὑμεῖς. Act. VII: 51. Quales qui ex Judæis erant, si vel summa solicitudine in cultu mosaico occuparentur, ostendebant quidem se habere legem *scriptam in tabulis lapideis*, non vero per efficacissimam operationem Spiritus Sancti inditam *tabulis carneis cordis* 2 Cor. III. 3. (ß) Arguit ipsos, jamdum mactatos fuisse beneficio circumcisionis cordis, quod inter signa adventus Messiæ refertur Deut. XXX. 6. cujus consequens est amor Dei ex toto corde atque anima. Lapides vivi esse non poterant, nisi cor lapideum ex ipsorum medio ablatum, animus renovatus, Spiritus Sanctus impertitus, lex Dei inscripra, ejusdemque timor ac reverentia fuisset indita Jerem. XXXI. 33. 34. Ezech. XXXVI. 26. 27. coll. Ebr. X. 16. 17. Beneficii hujus participes fieri non poterant nisi per spiritum regenerationis, hunc autem demum consequebantur, postquam propter imputatam justitiam Christi peccata ipsorum expuncta ac deleta erant. Quo ipso ratio simul redditur, quare ad Christum accesserint, & non ad exemplum tribulium suorum, qui in perfidia sua persistebant, in ipso fuerint offensi, quare denique non convenerit, amplius, cultui illi externo, qui secundum legem in templo Hierosolymitano præstabatur, obtemperare. Per circumcisionem cordis ac spiritum filiationis præjudicia

carnalia animis ipsorum fuerant exemta, sincerus in Deum amor, fides sancta in ipsis erat excitata, quæ faciebat, ut, quem miserat Deus, & quem patres adeo anxiis votis exspectaverant, eum gaudio ac humili animo reciperent. Porro spiritus filiationis jus ipsis ad Deum cum παῤῥησία accedendi dabat Ebr. IX. 14. X. 22. igitur infirmis illis atque egenis mundi elementis amplius servire, integrum non erat Gal. IV. 6. ad quæ, tamquam ad jugum aliquod, per spiritum servitutis Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. sub metu etiam mortis adigebantur Ebr. II. 15. (γ) Dum adpellantur *lapides vivi*, indicatur, ipsos esse aptos, qui cum Christo & reliquis corporis ejus mystici membris in arctissimum consortium concederent. Christus, ad quem credentes accedunt, est lapis vivus, cum autem communio vitæ nulla est cum morte, necessum est hoc, ut, qui antea mortui erant in peccatis, quibusque vita spiritualis nulla inerat, vita nova donarentur. Illa vita est ἱκανότης, omnis illa aptitudo, quæ vere conversis ac regenitis per divinam gratiam infunditur, qua statui suo convenienter vivere ac partem hereditatis sibi promissæ tuto præstolari possunt Col. I. 12. Tales homines natura non sunt, sed per gratiam Christi fiunt. Uti lapides templi natura sua erant rudes, inæquales, impoliti: in homine, qualis est in se, est aliquid perversum Jes. XLII. 16. Luc. III. 5. altitudo quædam, se efferens adversus cognitionem Dei 2 Cor. X. 5. speciatim hoc dici potest de Judæis. Erant illi montis instar inter alias orbis gentes conspicui, multis iisque eximiis admodum a Deo donati beneficiis. Sed hæc ipsa, ubi justitiam propriam erigere inceperunt, facta sunt ipsis offendiculo. Quod semen

men Abrahami se jactitarent, peculium Dei præ omnibus populis essent, legem suam Deus ipsis concessisset, sedem suam inter ipsos constituisset, statuta sibi a Deo præscripta autumarent, ut ex illis justitiam consequerentur: hæc omnia, inquam, ineptos illos reddebant, quo minus ad Christum, tanquam lapidem fundamentalem accederent, eidemque lapidum vivorum instar inædificarentur. Uti igitur lapides templi prius dolabantur, poliebantur; sic homo ex regno tenebrarum in regnum lucis transferendus, apte est præparandus. Quidquid pravum est atque distortum circa viam salutis, illud in rectum est deducendum, quidquid altum est atque elatum, montis instar propria justitia ac operum meritis subnixum, illud deprimendum complanandumque. Cum primis vero Judæi a præjudiciis suis gravissimis, quibus circa personam Messiæ, doctrinam ejus ac viam salutis luborabant, erant liberandi. Lapides templi ædificio tum demum apti erant, ubi arte ac industria peritorum artificum asciabantur, aptabantur. Quos divina gratia primis nascentis Christianismi temporibus structores templi spiritualis constituit, illi curam, cogitationem, operam suam omnem eo converterunt, ut ædificii hujus structura feliciter procederet, quare Paullus se *sapienti*, sive perito *architecto* comparat 1 Cor. III. 10. & generatim omnes illi, qui doctrinam salutis proponunt, illamque urgent, ædificare dicuntur Jer. I. 10. Rom. XV. 20. 1 Cor. III. 10. Architecti hi ac structores spirituales fidem inculcabant, resipiscentiam suadebant, abnegationem omnis proprii meriti ac justitiæ serio commendabant. Quod ubi valida veritatis demonstratione faciebant, accedente Spiritus Sancti

effi-

efficacissima potentia, verbum Dei fiebat *instar mallei, qui petram diffindit* Jer. XXXIII. 29. in animos illorum stimuli & acuti clavi adigebantur Act. II. 37. metus aliquis, solicitudo, desperatio, sed salutaris, in ipsis ex oriebatur, ut salutis avidi voces has mitterent, *quid faciendum est nobis, quid oportet nos facere, ut salvemur* Act. XVI. 30. Illi, qui ita sunt adfecti, placida ac morigera mente doctrinam salutis admittunt, aures, animum ad illud flectunt, illi se submittunt, eidemque se audientes præstant. Quo facto, fides ingeneratur, vita, motus, spiritus in illis se exserere incipit, quale quid *ossibus* aridis ac exsuccis, quæ inter alia Symbolum resurrectionis spiritualis esse possunt, contigisse, monstratum est Ezechieli c. XXXVII. 1-10. Idem per gratiam divinam hominibus, qui ante conversionem suam lapidum instar animatorum sunt, evenit, ut, ubi principium novæ ac spiritualis vitæ cum ipsis communicatur, secundum Deum vivere incipiant, sicque idonei evadant, qui se ad modum lapidum vivorum ac animatorum super Christum lapidem vivum ædificent, maxime ubi in vita hac vires atque incrementum aliquod capiunt. Uti vero de Messia, Jesu nostro Nazareno præcinuit JESAIAS, *non vociferabitur, neque tollet vocem, neque audire faciet vocem in platea* c. XLII. 2. coll. Matth. XII. 19. significans, ipsum fore doctorem facilem, placidum, benignum, non rixosum, litigiosum, motus atque seditiones verbis ac sermonibus suis ferentem, sed verbum reconciliationis hominis cum Deo 2 Cor. V. 9. sereno vultu, ore blando prolaturum: ita pariter, qui ipsius sunt, accipiunt spiritum filiationis, spiritum *lenitatis ac mansuetudinis*. Spiritus hic ipsos ita animat,

mat, ut se lubentes ac spontaneos domino suo ejusdemque legi subjiciant, non incusant jugum, non queruntur illius gravitatem. Quemadmodum lapides, praeparati ante, ita concinnabantur, ut non sonitus instrumenti ferrei cujusdam audiretur: qui spiritus Christi participes evadunt, pro beneficiis sibi partis gratias Deo agunt, animo propter remissionem peccatorum tranquillato, negotium suum ἐν ἡσυχίᾳ agentes, *Deo quippe in silentio laus est in Sione* Ps. LXV. 2. Hinc gravi de caussa Petrus credentes compellat, καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε. Circa lectionem aliqua quidem codd. differitas animadvertitur, aliis legentibus ἐποικοδομεῖσθε, quam ipsam sequitur VULGATUS, aliis ἐνοικοδομεῖσθε, quae tamen sensum non turbat. Priorem confirmare potest ῥῆσις Paullina ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ Eph. II. 20. fundamentum autem nominat Christum. Verbum ἐνοικοδομεῖν in N. T. non habemus. Nec tamen ratio est ulla, quare locutionem οἰκοδομεῖσθε, quam tot alii codices, ipse etiam SYRUS exhibet, deseramus, lapidem enim fundamentalem & principalem, super quem se credentes aedificare debebant v. 4. nominaverat. Illud οἰκοδομεῖσθε vero tum in *indicativo*, tum in *imperativo* accipi potest. Priori modo status indicatur, in quo per gratiam divinam versarentur, posteriori exstimulantur, quo in statu vitae spiritualis magis magisque proficiant, ac conjunctionis cum Christo & membris ipsius certiora documenta ac experimenta in dies persentiscant ac confirmentur.

§. IX.

Qui seorsim tamquam lapides vivi spectantur, illi

illi (a) ubi in conjunctione cum Christo & reliquis corporis ipsius mystici membris considerantur, efficiunt οἶκον πνευματικὸν, *domum spiritualem*. A lectione nostra in diversum abeunt SYRUS & VULGATUS, ex patribus etiam nonnulli, qua de lectionis differitate videri possunt ERASMUS & LUCAS BRUGENSIS, quamquam tamen etiam codices quidam vulgatæ versionis, nostram sequantur lectionem. Alii explicationis ergo addunt particulam *inædificamini in domus spirituales*, vel *domum spiritualem*. Et verum quidem est, credentes singulos, seorsim spectatos, haut raro ναὸν *templum*, *domum Dei* adpellari 1 Cor. III. 16. 17. VI. 19. 2 Cor. VI. 16. Sed hic considerantur, quatenus omnes cum Christo ac singulis credentibus unum illud corpus constituunt. Nec necesse est, ut præpositio *in* adjiciatur, sed οἶκος πνευματικὸς per *adpositionem* prioribus recte adjungi potest. Notionem hanc elegit Apostolus ratione habita templi Hierosolymitani, quod ecclesiam N. T. typice repræsentavit, hoc ipso tacite innuens, non esse, quod templi cultui ejusdemque ministerio amplius vacent, Spiritum Christi in ipsis habitare: quare operam navent oportet, ut ipsorum cultus etiam ex spiritu & veritate proficiscatur. Cel. le MOYNE *var. sacr.* T. II. p. 914. 915. ea est in sententia, Petrum hic adludere ad locutionem sapientiorum Judæorum, qui tempore Messiæ בית רוחנית *domum spiritualem* exspectaverint, sub cujus regno omnia spiritualia futura essent. EISENMENGERUS T. II. c. 15. p. 848. 849. observat, magistros nonnullos docere, templum, in diebus Messiæ futurum, descensurum de cælo, manibus Dei paratum, in quo Israëlitæ puris animis, ut sancti angeli

angeli in cælo, Deo servituri essent. Ubi autem phrasis hæc petita a templo Hierosolymitano, oportet utriusque comparationem aliquam institue-re. Templum Hierosolymitanum ex lapidibus probe dolatis ac politis ita concinnatum singulos-que illius lapides tam apte junctos atque compositos fuisse, ut ædificium, ex continua quasi petra prodiens, enatum fuerit visum, §. V-VII. est monstratum. In illo levem aliquam umbram licet offendere: in hoc spirituali sc. templo, expressissimam veritatem quam clarissime tuemur. Christus, super quem totum hoc ædificium est exstructum, quique illud portat atque compingit, appellatur *lapis fundamentalis* Ps. CXVIII. 22. Jes. XXVIII. 16. Zach. III. 9. Matth. XXI. 42. Marc. XII. 10. Luc. XX. 17. Act. IV. 11. Rom. IX. 33. Lapis hic est *lapis vivus* צור עולמים *rupes sæculorum* Jes. XXVI. 4. *Jehova vivus & rupes benedicta* 2 Sam. XXII. 47. Ps. XVIII. 47. *rupes salutis*, vel *salvator* Deut. XXXII. 16. qui, quoniam servare potest illos, qui ad ipsum accedunt, ipsum vivere oportet. Est *lapis vivus*, qui vitam habet in se & ex se, *apud quem* est *fons vitæ* Ps. XXXVI. 10. *possidens vim vitæ indissolubilis* Ebr. VII. 16. coll. Jo. V. 26. Igitur differentia inter *lapidem vivum fundamentalem*, & *lapides vivos eidem superstructos* satis est ingens, qui vitam non habent nisi a lapide fundamentali communicetur, qui uti vitam habet in se, ita etiam illam impertiri potest omnibus, qui eidem superstruuntur. Quare sub emblemate lapidis absque manibus excisi, qui tandem in ingentem montem excreverit, omnemque terram impleverit, effigiatur Dan. II. 34. 35. quod factum est, ubi ex omnibus gentibus atque linguis Christo lapidi vivo alii tamquam lapides vivi sunt superstructi, qui tan-

tum

dem totum terrarum orbem impleverunt. Mons hic est Ecclesia, quæ vitam suam a Christo accipit, per quem crescit ac exsurgit, itaque arcte compingitur, ut sanctum templum domini esse possit Eph. II. 20-22. Vinculum, quo singuli credentes tum cum Christo, tum inter se invicem conjunguntur, est a parte Christi ipsius *spiritus*, qui singulos animat, facitque, ut unitatem servent Eph. IV. 3. a parte credentium est *fides* & *caritas* v. 15. 16. Col. II. 7. quæ hunc in ipsis effectum & adfectum producunt, ut idem omnes & sentiant, & loquantur, &, quidquid boni habent, in conservationem atque emolumentum omnium conferant. Credentes autem, qui ita arcte conjuncti sunt, in domum spiritualem concedunt, contra omnem vim ac violentiam tuti persistunt. Lapides ob duritiem suam corruptioni non facile sunt obnoxii, sed perdurant ac perennant: ecclesia, inædificata Christo petræ, inferorum insultus eludit, eisdemque prævalet Matth. XVI. 18. Vitam hanc credentes non habent ex se, sed ex fundamento, a quo fulciuntur & portantur, a spiritu, qui animat, roborat ac confirmat ipsos. Alius alii superstruitur, alius alium voce, hortatu exemplo juvat, alius alius onus portat Gal. VI. 2. leni ac mansueto animo se mutuo tolerant, ut per eos ædificium caritatis surgat. Hæc est domus illa spiritualis, templum Dei viventis, in quo ipse per lucem suam habitat ac sapientia atque cognitione mysteriorum singulos pro statu ac conditione sua collustrat, in eodem ambulat, inumbrans ipsos alis gratiæ suæ ac per testimonium spiritus sui certos ipsos reddit, se illorum Deum ac ipsos populum suum futuros 2 Cor. VI. 16. quo sic ipsum in fiducia adire, ipsique sacrificia spiritualia, in Christo accepta, offerre possint. FINIS.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ.

Quæ citantur & illustrantur.

INDEX

DA-

4

LOCORUM SCRIPTURÆ.

Epiſt. ad ROMAN.

Ad CORINTH. I.

Ad CORINTH. II.

INDEX

16

FINIS.




Libri qui in Officina


NICOLAI MOENS,

prostant.

Ars Magna Pandectarum.
Altingii Fundamenta Punctationis.
Burmanni Vita Hadriani Sexti.
Bynæus de Morte Jesu Christi, 3 voll.
Biblia Græca Millii, 2 voll.
Boerhaave Institutiones Medicæ.
——— Disputatio Medica.
Catalogus Bibliothecæ Lugd. Bat.
Cuperi Historia Sacra.
Dale Pharmacologia.
Duysingi Historia Mosaica.
Gruner Diatribe.
Gronovii Index Supellecticus.
J. v. d. Honert Inst. Theol. Typicæ.
Heinii Dissertationes Sacræ.
Hutcheton Philosophia Moralis.
Ikenii Dissertationes Philol. & Theologicæ.
Van Juuchem de Variolis.
Jauchi de Negationibus.
Lette Caab Ben Zoheir.
——— Dissertationes Philologicæ.
Les Delices de Versailles, 2 *voll.*
Le Commedies de Plaute par Gudeville, 10 *voll.*
Munro Tentamina Medica.
Nugæ Venales.
Palairet Observationes Philol. &c.
Ruysch Opera Omnia, 4 voll.
Trommii Concordantiæ Græcæ, 2 voll.
Van Til Methodus Concionandi.
——— Homiliæ Catecheticæ & Festales.
——— Theol. Paracletica, 2 voll.
——— Compendium Theol.
Turretini Opera Omnia, 4 voll.
——— Compendium Theol.
Vitriarii Jus Naturæ & Gentium.
Wolfii Curæ Philologicæ, 5 voll.
Van der Wiel Observationes, 2 voll.



3/4 til



I N D E X

16